MEDITATIO IN EPISTOLAM DIVI PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS. IN qua vniuersæ ferè Christianæ religionis compendium discendum proponitur. Authore Andrea Volano.

INter multa & præclara Omnipotentis Dei beneficia, quibus ille mortalium genus subinde afficere solet, longè omniũ maximum & clarissimum est, à summaq; bonitate eius profectũ, quod ex infinita hominum turba quosdam ille ad veram sui, voluntatisq; suæ cognitionem perducit, nec ab illo tramite, quo ad summam vitæ æternæ peruenitur felicitatem aberrare sinit. Nam quæ humanæ mentis est cœcitas, fraude Sathanæ, & primi parentis lapsu in naturam introducta, nullus omnino est, qui viribus ipse suis ad summum hoc inuestigandum bonum enitatur, imò qui sciat supremam hominis fœlicitatem in eo consistere, vt Deo coniunctus æternum cum illo viuat, & quando hinc excessum fuerit, meliorem ac perfectiorem aliam restare vitam cognoscat. Ac fuerunt quidem nonnulli, qui in profunda quasi noctis caligine istam viam palparent, & innato mentis veterno excusso ad contemplandam hanc lucem quodammodo se exuscitarent, sed duce destituti, nec longius progredi nec ex tenebris eluctari vnquam potuerunt. Non est volentis, neq; currentis, inquit scriptura, sed est Dei miserentis. Sic nimirum tota salutis humanæ gloria penes vnicum Deum resi-

A det, soluscq;

XVI.Qu.11764

det, solusq; hic itineris huius Dux est, quo ad cœlestē immortalis vitæ patriam contenditur. Huius autem rei, si in quoquam alio illustre nobis spectandum proponitur exemplum, Diuus certè Paulus est, in quo seruando, & ad portum illum quietis æternæ perducendo, mira Omnipotentis Dei misericordia eluxit. Tantum enim abfuit, vt cursum ille suum ad consequendā æternam vitam dirigeret, vt omnibus velis & remis ab ea fugitaret, & quantum in illo fuit, summo quodam impetu in exitium suum ipse rueret. Prædicat itaq; summam in se saluando Dei misericordiā, & maximis omnibus laudibus in cœlum fert, quod eum segregauerit ex vtero matris eius, & vocauerit per gratiam suam, atq; adeò omnes alios, quos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta non secundum opera eorum, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data illis est in Christo Iesu ante tempora secularia, 2. Tim 1. Nec verò in omnibus Epistolis alius scopus illi propositus est, quàm vt ostendat, omnes ex naturâ esse peccatores, omnes vitio suo æternæ damnationi obnoxios, saluari autem & iustificari ex gratuita Dei misericordia per fidem in Christum, vt pote cum stipendium peccati sit mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro, ad Rom. cap. 6. Porrò in hac Epistola, quam scripsit ad Ephesios hoc potissimum persequitur argumentum, vt salutem generis humani nonnisi gratuitæ Dei clementiæ & benignitati acceptam ferat, ab hac verò laude omnia opera & merita humana excludat. In quo immenso Dei beneficio celebrando, & perpetua memoria recolendo, cum omnem nostram occupari deceat vitam, ita

expenden-

expendendas & explicandas omnes Epistolæ huius sententias duxi, vt quæcunq; ad fidem stabiliendam suppeditat firmamenta, in his omnibus securè conquiescam, & tam graui Diuinæ vocis autoritate instructus, omnes doctrinæ sanæ corruptelas refellendas suscipiam, quas ministerio sophistarum & hæreticorū ingerit Sathan, vt synceritatem veritatis Euangelicæ inficiat, & quamplurimos à Christo Domino ac Saluatore nostro auertat.

PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRIsti per voluntatem Dei, Sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu.

MIram ac stupendam commendat Paulus Dei Opt. Max. in se gratiam, qua factum ostendit, vt ad splendidum & honorificum munus euectus, legationē sibi commissum glorietur, qua in Christo prædicando & hominibus patefaciendo magnas quasdam opes illis proponat, & ad possidendam regni cœlestis hæreditatem eos inuitet. Hoc enim Apostolicum munus requirit, id legationis huius officium postulat, vt quos peccatum à Deo alienauit & ab omni spe vitæ æternæ excluſit. Apostoli ista facultate diuinitus sint ornati, vt eos Deo reconcilient, siue placatum potius & propitium omnibus his factum ostendant, qui Christum viuentis Dei Filium cognoscant, & quos bonitatis suę fruendos in eo proposuit Dominus thesauros cupidè excipiant. Si qua ciuitas imperium Principis sui contumaciter auersata fidem violet, & ob defectionem suam in extremum capitis & fortunarū discrimen deducta,

ducta, nullius præsidio se subleuare queat, legatum autem à Principe mitti persentiscat, qui nomine eius omnem noxiam ciuitati condonet, quibus tripudijs & gratulationibus hunc legatum à ciuibus excipiendũ, aut quibus honoribus afficiendum putes? Ipsa enim tam præclari muneris & ministerij demandata illi functio, non posset non illi esse honorifica, & omnibus iucunda. At verò à supremo mundi Rectore & dominorum Domino mitti legatum, qui animas ob iustam eius iram æterno exitio deuotas, liberas & vacuas hoc metu pronunciet, qui perpetuis tenebris & carceribus mancipatas in plenam lucem & libertatem vindicet, qui à potestate Sathanæ exemptas in cœlesti illa vitæ immortalis sede constituat, honos hic quidem est, nullis Regum & Imperatorum dignitatibus comparandus, nullis huius seculi vel amplissimis præmijs exequandus, Quanta ergo Omnipotentis Dei ista gratia est, qui Paulum hac dignitate cumulauit, qui Filio suo hunc Apostolum assignauit, non modo nullis eius meritis prouocatus, sed grauiter etiam offensus. Hic enim magna quadam ira exęstuans, & indomita rabie accensus, Regnum Christi in primo eius exortu labefactare aggressus est, dum Sanctos absq; vllo sexus discrimine alios in vincula conijceret, alios crudeli morte mulctaret, & Damascum profectus, omnes eos, qui inuocarent nomen Iesu Christi opprimere studeret. Indignum itaq; se ipse nomine Apostoli dicit. vt tantò maiori laudum præconio gratiam Dei celebret, qui hostem suum ista dignitate exornauit, & ex faucibus Orci ereptum, insigne vas & instrumentum illustrandæ gloriæ Christi ordinauit. Discipulos ergo

Christi

Christi, qui erant Ephesi sanctos & fideles vocat, quos olim tanquam impios & prophanos omni supplicio dignos iudicauit. Et quia nihil pollutum, nihil peccati labe contaminatum, lucis illius & regni cœlestis particeps esse potest, plena quadam spe regni huius potiundi implet omnes, qui Christo nomen dederunt, vt potè qui per fidem in Christum sancti subito & impolluti facti sint. Fides enim est, qua Deus purificat hominum corda Act. 15. Fides est, per quam Deus iustitiæ participes facit omnes, qui credunt in Christum, vt potè quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostentionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum, Rom. 3. Fides est, per quam liberati à peccato, serui autē facti Dēo, habent fructum suum in sanctificationem, finem autē vitam æternam, Rom. 6. Ethnici olim vt peccata, & scelera hominum expiarent, aut lustrales aquas & saliuas adhibeant, aut certis pecudibus mactatis iram se Deorum auertere, & flagitiosos homines sanctificare putabant, sed à Sathana dementati, in vano & inutili labore se exercebant, nec vel minimum hominis erratum hisce nugis & præstigijs eluere poterant. Nō procul à vana hac superstitione recedere videtur Pontifex Romanus, qui nugacibus & ridiculis ceremonijs res quasdam mutas consecrat, & ex prophanis sanctas se efficere putat, adeoq; homines ipsos in numerum Sanctorum referendi, siue vt loquitur ille, canonisandi, potestatem se habere fingit: Sed verendum est, ne quos ille canonisat, & in Litanijs suis inuocandos censet, nomina eorum in cœlo collocet, quorum animæ in inferno delitescant. Nimirum hi demum sancti sunt,

Deus per fidem in Christum cõsecrat, & Spiritu regenitos Sancto, innocentia vitæ, omnicq; sanctitate, ac pietate exornat. Et quia solus ille nouit, qui sui sunt, magno quodam temeritatis & imprudentiæ crimine non vacant, qui in vtramq; partem sententiam ferunt, & aut in cœlo, quos visum est constituunt, aut prauo iudicio in tartara præcipitant.

Gratia vobis & pax, â Deo Patre nostro & Domino IESV CHRISTO.

CVm omnes homines ex natura suut filij iræ, atq; ab vtero ipso condemnationem secum afferant, non possunt nisi exosi Deo esse, tanquam omnis iniusticiæ & peccati inimico. Clamat enim Diuinus Vates; Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius â vobis ne exaudiret. Esaiæ 59. Itaq; ad reconciliationẽ gratiæ Dei, cum sola mors & obedientia Filij Dei intercesserit, eaq; sola illum æternum Patrem humano generi placauerit, hanc gratiam vbiq; Paulus Apostolus prædicat, & quia per Christum parta est, tam â Patre eam quàm â Filio indifferenter omnibus fidelibus exoptat. Nec verò vlla subest causa, cur gratiam Christi Domini non semper obuiam sibi forè fideles metuant, cum tantopere dilexerit nos, vt mortem acerbissimam pro nobis subire non horruerit. Pater autem in solo Filio se placatum ostendens, id cœlitùs vocis suæ testimonio comprobauit, cum Filium hunc suum esse dilectum proclamaret, in quo complacuit animæ ipsius. Et quàm grata mortis eius foret illi victima, id ante per Ieremiam Prophetam prædixit, cum se propitium cunctis

um cunctis iniquitatibus populi sui futurum promitteret, & emundaturum illos ab omni iniquitate eorum, in qua peccauerunt illi. Ierem. 33. Itaq; Petrus 1. Pe. 1. mandat nos sperare in eam quæ offertur nobis gratiam in reuelationem Iesu Christi, & Ioannes 1. Ioan. 4. commendat immensam Dei in nos charitatem, quod scilicet dilexerit nos, & miserit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Inde verò solida pax, & plena menti nostræ oboritur tranquillitas, vt ad Deũ nostrum securè accedamus, non tanquam ad seuerum iudicem, sed vt ad clementem & propitium Patrem, nullam iam condemnationem metuentes, sed oblatam in Christo salutem intrepidè expectantes, obsignati in hac vita certo salutis arrabone Spiritu Sancto, qui reddit testimoniũ spiritui nostro, quod simus filij Dei. Non enim accepimus spirttum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Rom. 8.

Benedictus DEVS & Pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui benedixit nobis omni benedictione Spirituali, in cœlis in CHRISTO.

PErsistit Apostolus in laudando ac celebrando Deo nostro, quem vt ab omnibus idolis & fictitijs gentium numinibus discernat, vocat Patrem Domini nostri Iesu Christi. Neq; enim Deus est, sed Idolum in mente humana conceptum, qui fingitur absq; filio sibi coëssentiali & coæterno. Hic autem Filius in veteri lege adumbratus, & obscuris quibusdam lineamentis depictus, tunc demumplenam sui manifestationem exhibuit,

exhibuit, dum in carne humana verus Deus apparuit, secq viuentis Dei Filium confessus, omnibus Diuinis virtutibus & admirandis operibus, veritatem Diuinæ suæ naturæ approbauit. Itaq cœcam Iudeorum gentem vera cognitione Dei gloriabundam, nihil minus quàm Deum cognoscere dixit, vt potè cum nemo cognoscat Deum, qui non norit eius Filium, & quem illi suum dicerent Deum, hunc Christus re vera suum esse Patrem confessus est. Et sicut Apostoli in plenam veritatis lucem à Spiritu Sancto deducti, testimonium Christo tulerunt, quod Deus Pater per eum tanquam vnigenitum Filium suum vniuersam rerum creaturam produxerit, ita & genus humanum per eum restauratum, Deoq Patri reconcillatum & iure filiorum donatum constanter asserunt. Ac proinde Apostolus Paulus laudandum Deum prædicat, quod omnibus Spiritualibus beneficijs per hunc Filium suum CHRistum Ecclesiam suam affecerit, & in cœlestem illam patriam omnibus in eum credentibus iter patefecerit. Magnũ quoq hoc paternæ clementiæ est argumentum, quod inusus temporalis huius vitæ large omnia sua beneficia dispensat, & cataractas cœli aperit, ac effundit nobis benedictionem vsq ad abundantiam, Matth. 2. Sed quia hæc caducæ tantum seruiunt vitæ, atq adeò malis cum bonis communia sunt, illa demum solida sunt bona, & solis Filijs Dei peculiaria, quibus animas eorum pascit, & Spirituali benedictione replet, vt in spe ac fide veraq charitate radificati, de peccato, morte, ac Sathana triumphent, Deoq in operibus sanctis fructificent, & quæ summa hominũ fœlicitas est, beatã illam & immortalem vitam, cõsociandi Spiritibus cœlestibus, securi expectent.

Sicut elegit nos in ipso, ãntequam faceren-
tur fundamenta mundi, vt simus Sancti &
inculpati coram eo per charitatem.

EXpendens alibi Apostolus & summam Dei in sal-
uandis quibusdam misericordiam, & in perden-
dis alijs irreprehensibilem eius iustitiam, cum æqua
tamen sors & conditio omnium videatur esse hominũ,
non immeritò exclamat: O altitudo diuitiarum sapi-
entiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt eius iu-
dicia, & inuestigabiles viæ eius, Rom. 11. Nam quia
omnes ex æquo primi parentis lapsu peccatores facti
sunt, & non est qui faciat bonum vsq; ad vnum, tamẽ
ita placuit Deo, vt ex corrupta vniuersa massa, quædã
vasa sanctificanda eligeret, quædam in vitijs ac sordi-
bus suis ad finem vsq; volutari sineret. Cur enim aut
nõ omnes eandem pœnam promeritos similiter dam-
nauit, aut non æquè in omnes misericordiam suam de-
clarauit? Ita quidem humani iudicij imbecillitas in iu-
dicia Dei inquirit, & in summa illa & perfecta eius iu-
stitia aliquid desiderari existimat. Ac propterea fuerũt
quidam Theologi, qui vt scilicet á crimine iniusticiæ
Deum liberarent, præuisa bona & mala hominum o-
pera ab eo dicerent, vt in tribuendo bonis præmio, &
malis suplitio, rectam ac debitam iustitiæ legem ab eo
conseruatam censerent. Sed dum laudem iustitiæ se
tribuere Deo putant, omnẽ misericordiæ gloriã eidẽ
se adimere non animaduertũt. Vbi enim misericordia
Dei eluxit, si nullos omnino ex peccatoribus, nisi quã-
tum promerentur illi, saluauit? At verò diuersum tra-
dit scriptura, ita omnes in primo homine peccato mã-
cipatos asserens vt quam vitio suo attraxerunt pœ-
nam, nullis vnquam viribus suis ex illa eluctari potu-
issent.

INSTITUT ANGLISSAL

issent. Neq; enim aliud stipendium peccati à Deo propositum fuisse scimus, quàm mortem & æternam condemnationem. Itaq; si omnes homines mors absorpsisset, si æternæ inferni pœnæ in omnes peruasissent, nihil omnino haberent, quod responsarent Deo, cum omne malum crimine ipsi suo in se deriuarent. In ista enim integritate mentis & voluntatis ab Omnipotente Deo conditi fuerunt homines, vt si voluissent, integrè parere Deo, & omnem iusticiam adimplere potuissent. Si qui ergo culpa sua meritam pœnam sustinēt, ne ipsi quidem iudicio suo se excusare possunt, quin omne id quidquid patiuntur mali, proprio suo vitio accersitum habeant, laudemq; iusticiæ Deo ferre cogantur. At verò contra immensum misericordiæ Dei vim in effusam agnoscant oportet, si quos Deus iustè perdere potuit, tamen ex communi hominum exemptos sorte summa illa beatæ & immortalis vitæ felicitate cumulauit, & restaurata illa imagine Dei, ad quā conditi fuerant, eonsortes ac participes cœlestis gloriæ effecit. Hunc verò tantum & incomparabilem gratiæ suæ thesaurum in Filio suo Christo Iesu Dominus nobis largitus est, sic misericordiam iustitia sua temperans, vt pænam peccatis nostris debitam ille in corpore suo sustineret, & quod supplicium mortis nos promeriti sumus, ille vnus exolueret, itaq; iusticiæ Dei satisfaceret. Hic enim dilexit nos, & lauit a peccatis nostris in sāguine suo, Apoc. 1. Hic, inquam peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati sumus, 1. Petr. 2. Neq; enim elegit nos ad immunditiem patrandam, non vt effrenatas animi cupiditates

sequamur,

sequamur, & peccandi licentiam nobis concedamus. Sed vt noxias omnes vitiorum pestes ab animo repellamus, & integritati ac innocentiæ studentes, vitam omnem nostram illi approbemus. Sic enim larga gratiæ suæ dona electis suis dispensat Dominus, vt quos in hæreditatem regni sui cœlestis vocauit, & ex mundo segregauit, illos Spiritu Sancto suo ditet, quem mundus capere non potest, Ioan. 14. Detq; leges suas in mentem eorũ, & in corde eorum superscribat eas, aptetq; eas in omni bono, vt faciant voluntatem eius, & faciat in eis quod placeat coram se per Iesum Christum, cui est gloria in secula seculorum, Hebr. 5. & 13. Ita nimirum declarat Dominus diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam Ro. 9. Vt sint vasa in honorem sanctificata & vtilia Domino, ad omne opus bonum parata, 2. Tim. 2. Non ergo ideò elegit Dominus saluãdos, quod sanctitati studeant, & in obsequium voluntatis eius ferantur: Sed ideò legem Dei præstant, quia Dominus omnes sanctificat, & Spiritu Sancto suo locupletat, quos elegit: vt non immeritò dixerit Augustinus. Bona opera sequuntur iustificantes, non præcedunt iustificandos. Inde verò luculentum gratiæ & misericordiæ suæ exhibet Deus Omnipotens testimonium, qua sola non autem vllis meritis hominum adductus, salutis omnes eos in Filio suo facit compotes, quibus ei placuit dare regnum suum: sicut iustum contra in omnes eos exercet iudicium, qui cœcitate mentis oppressi, neq; Deũ ita vti decebat, cognouerunt, nec voluntate penitùs ab eo auersa, vllum vnquam iusticiæ opus in conspectu eius expleuerunt. Quam salutis & condemnatio-

ita ordinatam à Deo, ritè expendens D. Augustinus Oeconomiam: Fecit Deus, inquit, alia in contumeliã vasa iræ, alia in honorem vasa misericordiæ, illis reddens, quod debetur in pœna, istis donans, quod non debetur in gratia. Libro de Ciuitate Dei 15. Cap. 2.

Qui prædestinauit nos, qui adoptaret in filios, per Iesum Christum in sese, pro beneuolo affectu voluntatis suæ.

GRatuitum hoc nimirum Dei esse donum subinde inculcat Apostolus, vt non in sese, neq; vllis viribus suis, sed in mera gratia Dei salutem suam repositam fideles agnoscant. Hanc autem nonnisi in Filio suo dispensandam omnibus decreuit, vt solis his ad æternam vitam consequendam aditus pateat, & ius adoptionis filiorum competat, qui Christum fide recipiant. His enim dedit potestatem filios Dei fieri, qui credunt in eum. Ioan. 1. Nam quos prædestinauit, eos vocauit, & quos vocauit, eos iustificauit, & quos iustificauit, eos glorificauit. Rom. 8. Itaq; æternum illud decretum de saluandis electis tunc demum exquietur Dominus, cum Filium suum IESVM illis in Euangelio suo cognoscendum offert, & quidem per Spiritum Sanctum illos vera fide instruit, vt eum tanquam vnicum Mediatorem & Propitiatorem pro peccatis hominum factum amplectantur. Nemo enim venire potest ad Filium, nisi quem traxerit Pater, & omne quod dat Filio Pater, ad eum veniet, & qui venit ad eum, non ejcit foras, Ioan. 6. Nulla ergo subest causa, cur homines trepidi & anxij fluctuent, ac de salute sua dubitent, dum Christum in cordibus suis habitantem

bitantem per fidem sentiunt, & per opera bona, certã vocationem & electionem suam faciunt 2. Pet. 1. Deus enim est, qui operatur in eis & velle & perficere pro bona voluntate. Philip. 3. Sic nimirum Deo summè misericordi visum est, hanc declarare philantropian, vt quos simul fauore suo dignatus est, & quorum nomina consignauit in libro vitæ, eos nunquam â gratia sua excidere patiatur, sed subinde beneficia beneficijs & donis Spiritualibus cumulet, donec conformes imagini Filij sui efficiat, & abolito tandem peccato in cœlesti illa sede constituat. Nec refert quod carnis imbecillitate victi aliquando fatiscant, & quasi in medio vocationis cursu deficiant, cum Deus ita prolabi eos patiatur, vt tandem clementer erigat, & scintillam fidei quodammodo in eis sopitam reaccendat, plenoq; coruscare fulgore efficiat. Hanc enim voluntatem Patris esse sui profitetur Christus, vt omne quod dedit ei nõ perdat ex eo, sed resuscitet illud in nouissimo die, & det ouibus suis vitam æternam vt non pereant in æternum, nec rapiat eas quisquam de manu sua, Ioan. 6. & 10. Quod autem turbulentissima rerum omnium tempestas plerumq; eos in hoc mundo excipiat, quod Sathan cum suis satellitibus omnes vires in exitium eorum subinde conferat, adeò de statu mentis se deturbari non patiuntur, vt si vel fractus illabatur orbis, impauidos feriant ruinæ. Neq; enim hæc irati Dei signa, sed paternæ correptionis indicia sibi esse persuadent: quam ideò adhibet Dominus, ne cum filijs huius seculi lasciuiant, sed tanquam freno coerciti intra septa timoris Domini, cum tremore operantes salutem, sese contineant. Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat

gellat autem omnem filium, quem recipit. Hebr. 12. Nec verò fuit, neq; futura est alia vnquam piorum cõditio, quàm vt sub cruce positi assiduè ingemiscant & ad superna contendentes, ex hac sordium colluuione, tanquam ex carcere euolare properent. Id enim, quod in præsenti est, inquit Apostolus, momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, 2. Cor. 4. Non Christianorum est, sed Epicureorum, ex præsenti rerum aspectu omnem felicitatem metiri, & in rebus asperis animum despondere, Deumq; tanquam seuerũ Iudicem auersari, ac non potiùs vt clementem & propitium patrem in castigandis nobis agnoscere. Tumultuetur sanè mundus, frendat & fremat Sathan, atq; omnia arma in perniciem nostram expediat, vna tamen hæc consolatio nos sustentat, ōnemq; animi ægritudinem abstergit, quod Deus Pater ab æterno elegerit nos in Filio suo, & antequam boni vel mali quidquam facere possemus, solo beneplacito & paterno voluntatis affectu, in sortem filiorum nos admiserit.

Ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ, qua nos gratis effecit ſibi gratos in illo dilecto.

CVm maiorem Deus Omnipotens in Filio suo nobis declarauerit gratiam, quàm quantam animus noster capere possit, nec opis est nostræ grates referre æquas, quid restat aliud, nisi vt glorioſum nomen Domini Dei nostri prædicemus, & debitis laudũ præconijs perpetuò celebramus? Populus quem formaui mihi laudem meam enarrabit, Esa. 43. Nam quia ipse format, ipse fouet, & vegetat, & lucis suæ radio

omnes

emnes mentis nostræ tenebras illuminat, capaceſq; gloriæ illius cœleſtis facit, illi ſoli gloriam tribuamus oportet, nihil in nos & merita noſtra laudis deriuantes, ſemperq; voce ſonora illi occinentes, ac totum hoc mundi theatrum implentes. Non nobis Domine, nō nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Pſal. 115.
Et ſoli Deo Saluatori noſtro, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum gloria & magnificentia, imperium & poteſtas in omne ſeculum, & nunc & in omnia ſecula ſeculorum, Amen. Iudit 25.

In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſsionem peccatorum ex diuite ipſius gratia, qua redundauit in nos omni ſapientia & intelligentia.

CVm Romani olim Duce Quintio bellum contra Philippum Macedonum Regem ſuſcipiendum ſibi ducerent, vt Græciam, cui ſeruitutis iugum imponere ille tentabat, in libertatem vendicarent, eumq; fructū impenſæ operæ conſequuti eſſent, ſummis omnium laudum præconijs hanc Romanorum virtutem à Græcis celebratam, & in aſtra vſq; ſublatam commemorāt Hiſtorici. At verò Imperator noſter Chriſtus IESVS Dei Filius, non pro ſeruitutè breui à nobis repellenda, ſed horrenda captiuitate Sathanæ excutienda ac nullis vnquam ſeculis finienda cum hoſte hoc longè omni atrociſsimo depugnauit. Habebat hic omne ius & imperium vt potè peccato mancipatos, & ob id mortiæternæ obnoxios, ſtipendium enim peccati mors, quæ aboleri omnino non potuit, niſi peccato ſublato. Chriſtus itaq; ſanguine ſuo omne peccatum noſtrum emunda-

emundauit, 1. Ioan. 1. & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, Apoc. 1. Hic inquam fortem hunc armatum deuicit, & vniuersa arma eius, in quibus confidebat, abstulit, Luc. 11. Hic carnis & sãguinis particeps factus est, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est Diabolum. Heb. 2. Quanta ergo lætitia, quibus gaudijs exultandum nobis censemus, vt tantam victoriam DEI, & Saluatoris nostri Christi decantemus, vt tam diuitem gratiam eius celebremus? Hæc verò summa est illa & cœlestis sapientia, quam animalis homo capere non potest, & quæ mundo stultitia videtur, solis nimirum fidelibus & electis concessa, quibus datum est hoc tam sublime & Diuinum mysteriũm cognoscere, cæteris autẽ in parabolis. Hoc doctus nesciuit Plato, ignorauit Aristoteles, & qui tot seculis discrepãtes opinionibus & sententijs extiterunt Philosophi, dicentes nimirum se esse sapientes, stulti facti sunt, & obtenebratum est insipiens cor eorum.

Patefacto nobis mysterio voluntatis suæ secundum gratuitam suam beneuolentiam, quam proposuerat in sese.

MAgnum profectò ac stupendum & inscrutabile mysterium, quod Deus carne humana assumpta est mundo manifestatus, & in hoc apparuit, vt destrueret opera Diaboli. Quæ res Angelicas etiam mentes admiratione obstupescit, & in has erumpere voces coëgit. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in homines beneuolentia. Tanta enim Dei gratia, tam propensa in homines voluntas, nullis hominum linguis explicari

explicari potest. Deum nempè generis humani miserum proprio Filio non pepercisse, eumq; hominem factum pro nobis tradidisse, vt morte sua peccatum expiaret, vt Deum Patrem peccatis offensum nobis placaret, vt æterno exilio mulctatos in patriam cœlestem reduceret, & socios hæreditatis suæ efficeret. O fœlices nimium, quibus mysterium hoc, quod absconditũ fuit à seculis & generationibus, nunc est manifestatũ, Coloss. 1. Quoniam autem eius manifestatio solo DEI proposito & beneplacito nititur, ideò Christus exultans in Spiritu dixit. Confitebor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam Pater, quoniam sic placuit ante te. Nemo ergo propriè carnis sensu nitatur, nemo se ipsum, tanquam ex se lucis huius sit capax, intueatur, sed ōnem electionis & vocationis suæ gloriam Deo tribuat, vt si quis gloriatur, in Domino glorietur. 2. Cor. 10.

Nempè vt pleni temporis dispensatione recolligeret omnia in Christo, tum quæ in cœlis sunt, tum quæ in terra.

CVm omnium temporum momenta in manu & potestate Dei sint posita, tunc demùm Christus in carne mundo est manifestatus, quando id Deo visum fuit, & quando ea temporum spatia expleta sunt, quæ manifestando Filio suo, Deus ab æterno decreuit. Patefecit autem Filium, à multis seculis promissum, vt omnes quos saluti ab æterno destinauit, in vnũ quasi corpus in eo coãdunaret, & qui temporibus & locis disiuncti fuerunt, tanquam membra vnius corporis

capiti Christo associaret. Ex eo enim electi omnes vitam hauserunt, & tanquam palmites viti inserti, vitali eius succo perfusi sunt. Neq; enim aliud nomen sub cœlo est, in quo oporteat saluos fieri nisi in nomine eius. Act. 4. Tam ergo hi qui cœlestes iam ciues facti sunt, quàm qui in terra adhuc peregrinantur, ab eo tãquam vnico salutis fonte dependent, illicq; salutem sua acceptam ferunt. Nam cum efficatia mortis eius in omnia tempora se extendat, dicitur agnus ab origine mundi esse occisus, vt non minùs sanguine agni huius immaculati, à sordibus peccatorum sint emundati, qui aduentum eius in carnem præstolabantur, quàm qui natum, passum & mortuum credunt, eumq; in salutem vera fide amplectuntur. Errant ergo grauissimè qui sub lege veteri omnes ex æquo fideles ab aditu regni cœlestis arcent, nec ianuam illam Paradisi nisi post mortem Christi referant, vt tum demùm ex nescio quo ficto limbo veteres Sanctos illos Patres in eam intromittant.

In ipso, in quo etiam in sortem adsciti sumus, cum essemus prædestinati secundum propositum eius, qui omnia efficit ex consilio voluntatis suæ, vt nos simus laudi gloriæ ipsius, qui priores speruimus in CHRISTO.

CVm propositum illud æternum Dei, quo ex mera gratia & voluntate sua in salutem electos prædestinauit, per se sit abditum & occultum, tunc demùm ijs declaratur, quibus cognoscendum Filium suũ Deus exhibet, & quos per Euangelij sui prædicationem, ac efficac

essū cācem vocatiōnem in populum suum cooptat. Huius autem gratiæ primos fecit participes Iudæos, quibus credita sunt eloquia Dei, quorum est adoptio filiorum, & gloria, & fœdera, & legislatio, & obsequiū, & promissiones. Rom. 9. Itaq; Propheta notum in Iudea prædicat Deum, in Israël magnum nomen eius. Psal. 76. Et Apostolus filios vocat Prophetarum a testamenti, quod dispositi Deus ad Patres eorum dicens ad Abraham, & in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ, illisq; primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem illis, vt conuertat se vnusquisq; à malitia sua. Act. 3. Gloriam ergo & laudem meritò Deo Omnipotenti tribuendam censet Apostolus, qui priores Iudæos sicuti olim forte in possessionem terræ Chanaan admisit, ita & in sortem salutis ac æternæ hæreditatis adsciuit. Et Christus ipse prædicandam omnibus gentibus pœnitentiam ac remissionem peccatorum ita mandauit, vt inciperent ab Ieroſolima. Luc. 24.

In quo speraſtis & vos, audito ſermone veritatis, Euangelio ſalutis veſtræ, in quo etiam poſteà quàm credidiſtis, obſignati eſtis Spiritu illo promiſſionis Sancto, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ, dum in libertatem vindicemur ad laudem gloriæ ipſius.

NON ſolis Iudæis, ſed & gentibus apertum Euāgelij oſtium ediſſerit Apoſtolus, vt æqua laus gloriæ ab omnibus tribuatur Deo, qui nō eſt acceptator perſonarum, ſed omnibus quibus vult diſpenſat gratiam ſuam. Hæc verò gratia illis patefacienda prę

dicta olim fuit à Prophetis, & potissimùm ab Esaia, qui in multis prophetiæ suæ locis inter cætera sic loquitur. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est ijs. Esa. 9. Hanc porrò lucem commendat Simeon ille senex, dum salutem à Deo paratam dicit ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israël. Lucæ 2. Christus autem Dominus gratiam hanc luculentius proponit, dum Apostolos ad vniuersas gentes ablegat, atq; vt Euangelium prædicent omni creaturæ serio mandat. Mar. 16. Atq; huius tantæ gratiæ Ephesios participes factos docet Paulus, dum & Euangelio salutis prædicato crediderint, & Spiritu Sancto obsignati fuerint. Ita enim consilium ordinationis suæ exequitur Dominus, vt quos in salutem prædestinauit, corda eorum aperiat, vt credant Euangelio, & fide in Christum donati, certa salutis arrha nempè Spiritu Sancto obsignentur. Omnis quī inuocauerit nomen Domini, loquitur scriptura, saluus erit, quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, de quo non audierunt? Fides enim ex auditu, auditus per verbum Dei. Rom. 10. His nimirum gradibus in salute danda hominibus, progreditur Diuina illa clementia, vt quos in peculiū suum illi cooptare visum est illis faustum illud Euangelij nuntium audiendum proponat, & ne frustra audiant, in obedientiam verbi sui corda eorum fingat, vtq; naufragium fidei non patiantur, eos bonæ conscientiæ munere per Spiritum suum exornet. Hic nempè est ille veritatis sermo, quo tanquam certo salutis

instrumen-

instrumento vtitur Dominus, vt qui in eo non conquiescunt, & extra Christum salutem quęrunt, mendacijs & vanis opinionibus hominum delusi, libertatem illam nunquam assequantur, qua â tyranide peccati & mortis exempti, de Sathana triumphent. Non minus autem â scopo salutis aberrant & illi, qui in arcano illo Dei proposito salutem venantur, & nullum adhibent studium, vt permaneant in fide fundati, & stabiles, atq; vt seruiant Domino in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus vitæ suæ. Luc. 1.

> Propterea etiam ego, audita ea, quæ in vobis est fide in Domino Iesu, & charitate in omnes Sanctos, non desino gratias agere pro vobis, mẽtionem vestri faciens in precibus meis. vt Deus Domini nostri IESV Christi, Pater illę glorię, det vobis Spiritũ sapientię & reuelationis per agnitionem ipsius.

HI sunt scilicet illi fructus, quos Euangelium in mẽtibus piorum firmat, & ab impijs ac prophanis omnibus discernit, vera nimirum in Christum fides & syncera in fratres charitas, vt quicunq; his donis excellunt, in sanctorum & filiorum Dei numero repositi merito censeantur. Hoc nomine idem Apostolus gratulabundus gratias se agere Deo pro Thessalonicen. dicit, quoniam supercrescit fides eorum, & abundat charitas vniuscuiusq; inuicem: 2. Thes. 1. Fides autẽ est quę in Deo ipso recumbit, & hominem omni virtutis proprię fiducia spoliatum ad hauriendum omnem in Christo iustitiam impellit. Charitas est, quę se om-

nibus fratribus impendit, & in duris eorum rebus, vel consilio, vel opera, vel re auxilium ferre non subterfugit. Itaq; charitatem Apostolus vocat vinculum perfectionis. Colos. 3. Et qui proximum diligit, eum legem impleuisse dicit, Rom. 13. Istis nimirum terminis tota pietas Christiana circumscribitur, vt finem precepti idem Apostolus asseueret esse, charitatem de puro corde, & conscientia bona, & fide non simulata, 1. Tim. 1. Si quis ergo ex predestinatorum numero se esse agnoscere vult, & in Sanctorum albo censeri, is hoc vnum studeat, & per omnem moliatur vitam, vt ne in vera fide hebescat, nec in operibus charitatis prestandis languiat, sed sese ad obsequium Diuinę voluntatis semper exuscitet. Ita enim futurum est, id quod se Apostolus precari dicit, vt sit Deus ille Pater daturus ei spiritum sapientię & reuelationis per agnitionem ipsius. Ac sapientiam quidem ita definiunt eruditi, quod sit Diuinarum & humanarum rerum scientia, ac totius vitę humanę moderatrix & magistra. Hęc autem aut in obscuritate naturę explicanda versatur, & causas rerum omnium inquirit, aut quibus institutis tam res domestica quàm publica, atq; adeò vniuersa hominis vita sit gubernanda, exactè tradit, aut hominis linguam ita formar, vt omnem docendi & persuadendi rationem illi subministret. Quarum rerũ omnium scientia quicunq; delectantur, Philosophorum hi nomen ab antiquis temporibus sortiti sunt, atque etiamnum obtinent. Magnum quidem hoc & singulare Dei donum hominibus est concessum, sed sine vera cognitione Dei & Christi eius, pro stultitia à Spiritu Diuino est reputatum. Non hanc ergo sapientiam hoc

loco

loco fidelibus exoptat Apostolus, sed eam, quæ nulli vnquam Philosopho venit in mẽtem, nempè in Euangelio Christi reuelata, eum nobis factum iustitiam, sanctificationem & redemptionem edisserens, in eoq; sũmam illam æternæ vitæ fœlicitatem nobis repositam esse perspicuè docens. Quicunq; ergo quid ut Christus didicit, & quæ in humanum genus beneficia contulit, hic demùm Spiritum sapientiæ & reuelationis à DEO consecutus est, omnemq; errorem & caliginem ab oculis mentis detersit. Hanc sapientiam se tradere testatur Apostolus, non sapientiam huius seculi, neq; principium huius seculi, qui destruuntur, sed sapientiam in mysterio absconditam: 1. Cor. 2 Hanc verò cum det Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, ab eo sanè summis omnibus votis exoptanda est, vt quæ descendat à Patre luminum, & quam det omnibus affluenter nec improperet, Iac. 1. Dicitur autem Deus & Pater Christi Deus ille Omnipotens Creator cœli & terræ, quia nimirum Christus respectu humanæ naturæ est ab illo conditus, Mediatorq; Dei & hominum factus est, vt tam capiti quàm membris eius communis sit Deus, Pater autem Christi est, quia Christus ab æterno de substantia eius tanquam proprius Filius verè est genitus, ideoq; mundo in carne manifestatus, vt nos secũ iure adoptionis filios Dei faceret communemq; Patrẽ omnibus in se credentibus redderet.

Illuminatis oculis mentis vestræ, vt sciatis quæ sit spes illa vocationis eius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in Sanctis.

MAgnam vim Philosophi omnes menti siue rationi tri-

ni tribuunt. eamq; tanquam ducem in suprema hominis parte constituunt, vt in domandis & in officio retinendis inferioribus viribus dominatum exerceat, nec furiosos appetitus in omnem licentiam diuagari sinat. Verum quàm in rebus omnibus Diuinis illa sit cæca, magnisq; erroris & inscitiæ tenebris circumsepta, Sacra scriptura passim docet, tum vitijs & operibus malis intentam occlamat, & subinde nonnisi carnis nomine dignam reputat. Ac proinde nisi Diuina gratia facem illi præferat, & ex tenebricosa lucidam efficiat, nunquam ad veri & solidi boni cognitionem perueniet, falsisq; opinionibus ducta, semper á summo illo fœlicitatis humanæ scopo aberrabit. Dei ergo solius Omnipotentis opus esse prædicat Apostolus, oculos mentis irradiare, eiq; Christum cum omnibus eius bonis cognoscendum exhibere, quibus ille ditat Ecclesiam suam, & in possessionem gloriæ ac hæreditatis æternæ inducit, non inani aliqua spe sanctos suos lactans, sed tanquam iam præsentia bona ob oculos ponens. Habemus enim hanc spem, tanquam anchoram animæ tutam, ac firmam, & incedentem, vsq; ad interiora velamina, Heb. 6. Quoniam DEVS benedictus & Pater Domini nostri Iesu Christi secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.

Et quæ sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis, qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipsius quam exercuit in Christo, cum excitauit eum ex mortuis, & collocauit ad dexteram suam in cœlis.

Ne dubi-

NE dubitemus de spe futuræ immortalitatis, & corona iustitiæ nobis repolita in cœlis, tantam virtutem & potentiam Dei prædicat Apostolus, vt quia Christum caput nostrum ex mortuis excitatum in illa cœlesti maiestate collocauit, eumq; imperij sui participem fecit, eadem potentia nos fide in eum donata, ex peccatoribus iustos, & ex mortuis viuentes sit effecturus, in illaq; beata sede collocaturus. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est. & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum adducet cum eo: 1. Thes. 4. Hæc verò cum sit summa fœlicitas, summumq; illud hominis bonum, quod tam anxiè quæsierunt Philosophi in eo tamen inuestigando tantopere aberrauerunt, vt resurrectionem carnis Apostolum constanter Athenis asserentem, pro fabula reputauerint, eumq; irrisione dignum tanquam spermologum, & inania verba fundentem, ac noua dæmonia annunciantem iudicauerint. Hæc scilicet illa est cœlestis sapientia, quam â sapientibus huius seculi abscondidit Dominus, & reuelauit eam paruulis. Non poterant scilicet illi naturali mentis acumine cognoscere, quomodo mors in mundum subintrauerit quid mirum ergo, quod resurrectionem mortuorum ne subolfacere quidem potuerint? Sola hæc Dei potentia est, mentes ita nostras illuminantis, & robusta fide instruentis, quod credamus Christum Dei Filium morte & resurrectione sua, de morte triumphasse, & ouantem in cœlum conscendisse, vt nos qui sumus membra eius, & caro de carne eius, eiusdem regni consortes efficeret, & omni mortalitate absorpta, perrenni vita donaret. Subuectum ergo quod ad carnem attinet, ad cœlum

credamus, neq; per vniuersa terrarum spatia diffusum imaginemur, Immortalitatem enim carni dedit, naturam non abstulit, vt verissimè sentit Augustinus, totaq; illa sancta vetustas.

Longe supra omne imperium ae potestatem & potentiam, & dominium, & omne nomẽ quod nominatur non solùm in hoc seculo verum etiam in futuro.

QVanta sit Dei potentia, quàm inuictum eius robur, vel in rebus ab eo creatis & ad summam sublimitatem euectis tanta vicissitudo declarat, quam in omnibus gentibus & omnibus seculis spectandam Dominus proponit. Apud eum enim est sapientia & potentia, eius est consilium & intelligentia, vinculum Regum soluit, & alligat cingulum lumbis eorum, abducit proceres in prædam, & potentes euertit. Multiplicat gentes, & abolet eas, expandit gentes, & contrahit eas, vt testatur Iob cap 12. Ita verò cum nihil eius exemptum sit imperio, nulla est tam sublimis potestas, nullum regnum tam stabile, cuius ille vt constituendi, ita & quando libet euertendi, solidam non habeat facultatem. His verò omnibus regnis & splendidis imperijs sublimiorem ac potentiorem Filium suũ effecit Iesum, vt potè cum nullum tam sit celebre in vniuersa creatura nomen, quod splendori & magnitudini Christi non cedat, eoq; sit inferius. Neq; enim ad quenquam Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Heb. 1. Et profectus est in cœlum Christus, subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtu-

tibus,

tibus, 1. Petr. 3. Vt quid ergo electis & fidelibus eius nocet quæuis mundi huius tyrannis. quam ille subiectam habet suo imperio, vt vincula eius perrumpere nequeat, nisi quantum ille laxamenti dederit. Et quia non momentaneum sed æternum in cœlis exercet ille imperium, suoq; semper adest Patri, vt veniam dilectorum ab eo nobis impetret, vt quid hæsitemus cum plena fiducia eius adire tribunal, ab eoq; in rebus ōnibus duris & asperis plenam expoſcere opem? Non enim in manu facta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Heb. 9. Quis ergo est, qui cōdemnet? Christus Iesus, qui mortuus èst, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Rom. 8.

Et omnia subiecit eius pedibus, eumq; constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & complementum eius, qui omnia implet in omnibus.

CVm Christus sit Rex regum, & Dominus dominorum, nulla est tanta omnium eius hostium potestas, quam non ille sub pedibus suis conterat, & qui contra eum insurgunt, non eos disperdat, quiq; eum super se regnare nolunt, extremo interitu afficiat. Lucæ 19. Matth. 21. Pugnabunt quidem cum agno homines præfracti, & de iugo eius excutiendo omnibus viribus certabunt, sed agnus tamen vincet eos, quia super ōnes Reges & Principes supremum ille obtinet dominatum: Apoc. 17. Hac tanta potestate dum manum

Filij sui armauit Deus Pater, magno vicissim cum pl. orum omnium solatio, ei summum ius in omnem Ecclesiam concessit, eumq; caput illi constituit. Nam sicut omnia corporis membra à capite vegetantur, sic viuificam ille vim omnibus suis fidelibus arcana Spiritus sui virtute instillat, & ex mortalibus viuentes efficit, vt non iam illi viuant, sed viuat in illis Christus. Ro. 8. Gal. 2. Itaq; tam firmo nexu & vinculo omnia membra sibi agglutinat, vt tam arcta capitis & totius corporis societas, toties in scripturis sanctis vnius Christi nomine censeatur. Christus nimirum est vitis illa, in quam inserti fideles omnes tanquam palmites cœlesti Spiritus vigore perfunduntur, ex eoq; tanquam fonte hauriunt vitam. Itaq; sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite. Ioan. 15. Sic qui per fidem Christo coniunctus non est, à mystico corpore Christi exulans, & à societate Sanctorum alienatus, omni spe vitæ destituitur, nullum iusticiæ proferens fructum. Sed ex putri ac vitiosa radice pullulãs in interitum. Nam sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificantur. Magno ergo & intolerando fastu, ex communi hominum sorte se eximens Pontifex Romanus, alterum se Ecclesiæ caput mentitur, & monstrosum totum Ecclesiæ corpus efficiens, & ordinem omnem membrorum inuertens, vt qui ex pede aut manu caput fabricat, & vitem in palmite, non palmitem in vite constituit. Quis enim hominum vnquam fuit excepto vnico Christo à peccato immunis, vt vitam ipse tibi tribueret, ne dum vt alijs eam communicaret? An non omnes saluandi, homines ex plenitudine Christi accipiunt, an non ex vno

capite

capite Christo totum corpus pernexus & coniunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei. Coloss. 2. Aut ergo Pontifex Romanus se hominem eumq; peccatorem neget, aut si negare non potest, ne se caput Ecclesiæ impudenter mentiatur, Ideo enim Christus Ecclesiæ caput, quia dat salutem vniuerso corpori: quam quia Pontifex Romanus dare nequit, ludibrio omnium hominum & maledictioni Dei se exponit, qui quod soli Filio Dei competit, id sibi ille proterue arrogare non erubescit. At quanto melius saperet, si non capitis honorem affectans, saltem membrum in præclaro hoc Christi corpore effici studeret. Sed talem vitam istorum Pontificum commemorant omnes Historici, vt quia crudelitate, auaritia, superbia, omni nequitia, luxu & libidine, ac manifesta impietate, alij alios superare contenderint, se filios potius Sathanæ, quàm membra esse Christi vniuerso terrarum orbi testati sint. Itaq; vt vanum hunc capitis titulum, quo turgidi insolescunt, saltem dissimularēt, caput vtiq; se ministeriale in Ecclesia vocitant. Hoc autem nomen inde vsurpant, quia scilicet à Christo hanc potestatem datam sibi comminiscuntur, quæ vniuersum Ecclesiæ orbem sit complexa: in qua nimirum illi supremum supra omnes Pastores & Episcopos obtineant principatum, adeò vt omnes ab eo dependeāt, & ex ore eius tanquam oraculo Diuino omnem religionis constituendę rationem petant, omniumq; fidei dogmatum & morum tanquam infallibilem, & in quē nullus error cadere possit, sequantur ducem. Huius esse Scripturas Sacras interpretari, & ex his genuinū elicere sensum, Orthodoxamq; sententiam ab hæresi-

bus discernere, eius esse Concilia indicere, hisq; plenū firmitatis robur tribuere, & quę eo inuito cogantur, pro nullis reputare. Ad summam, nihil omnino eius imperio exceptum esse, ita vt ad reserandam regni cœlestis ianuam in manu eius claues sint repositę, illiq; excommunicationis concreditum fulmen, quo contumaces á regno cælorum excludat, & in tartara præcipitet. Et quia infinita potestas nullum scit tenere modum, eò progressa est hominis insolentis audacia, vt in omnes orbis Monarchas & Principes ius quoq; sibi datum fingat, eosq; & de solio deponere, & alios in locum eorum substituere, potestatem se habere glorietur. Ac longum esset pertexere, quibus ille elogijs hunc suum dominatum exornauerit, qua potestate se armatum decantauerit, & quibus porrò factis hanc tãtam facultatem sibi concessam per multa secula exequi semper studuerit. At verò quo obsecro iure Diuino, qua Scripturæ Sanctę authoritate, quo vocis Christi testimonio ad tantum dignitatis & potestatis apicem ille conscendit? Quia, inquit, Petrus Apostolorum Princeps, atq; adeò vniuersæ Ecclesię à Christo constitutus, & Ecclesiæ Romanę Episcopus factus, hanc potestatem omnibus suis successoribus Episcopis Romanis resignauit, & in sede Romana perpetuam deposuit. Verum quàm hoc vanum est Petro Apostolo principatum aliquem in Ecclesia fuisse tributum, ita non minus incertum, an Petrus in vrbe Romana aliquando extiterit, ne dum vt Apostolicam functionem à Domino sibi commissam in Episcopatum vrbis vnius commutauerit. Apostolicum enim munus non certis alicuius loci terminis circumscriptum, sed per vniuersum

orbem

orbem diffusum constat á Christo Domino fuisse institutum, vt potè quos Apostolos creauit, eos in totum mundum ablegauerit, ac prædicandum Euangelium vniuersæ creaturę illis commiserit. Nec in vno loco Apostolum Petrum semper hæsisse, sed varias regiones & vrbes peragrasse, & Euangelij Christi vocem sparsisse, Scriptura Sacra testatur. Absurdum ergo est, contra expressum Dei institutum, & manifestam debiti officij functionem, quam administrasse scribitur, eum intra septa vnius vrbis compingere, & ex Apostolo Episcopum factum esse somniare. Apostolus quidem Paulus diuersum testatur, qui concreditum Petro Euangelium circumsionis, & sibi præputij prædicat, eamq; pactionem ex mutuo consensu inter Iacobum, Petrum & Ioannem seq; & Barnabam fuisse factam, vt hi inter gentes, illi verò inter circumcisos Apostolatu fungerentur Gal. 2. Et quo tempore Paulus Romæ captiuus fuit, nullam omnino Petri inter reliquos fratres, quos illic extitisse commemorat, mentionem facit, cuius proculdubiò nomen omissurus non fuisset. In hoc tamen tempus incidit captiuitas Pauli, quando Petrum Romæ fuisse quidam ex Scriptoribus antiquis tradunt. Ita verò incerta sunt, quæ de Petro tanquam Romæ fuisset scribuntur, vt in contrariam partem firmiora omnia suppetant argumenta. Verum vt sanè illic fuerit, illicq; docens extremum diem obierit, quid hoc ad primatum Episcopi Romani, quem neq; Petrus vnquam habuit, nec Episcopus certæ alicuius Vrbis, sed Apostolus cum reliquis Apostolis pari consortio honoris & potestatis à Christo constitutus fuit, vt testatur vetustissimus Scriptor Cyprianus? Sed

quid opus

quid opus est testimonio Cypriani, cum in Scripturis Sacris ne minimum quidem extat vestigium, vbi tantam potestatem exercuerit in Ecclesia Petrus, quem tam post multa secula demum sibi vindicare cæpit iure Petri Episcopus Romanus? Petrus enim adeò nullum suum principatum super reliquos Ecclesiæ Pastores vsurpat, vt ad Presbyteros scribens, & de pascendo grege Domini eos admonens, se quoq; socium eorum & Presbyterum vocet, & vnicum Pastorem Principem Christum illis proponat, à quo eos immarcescibilem gloriæ coronam reportaturos denuntiat. 1 Pet. 5 Et quemadmodum eos exercere dominatum in Cleros prohibet, ita exemplo suo se ab omni dominatione alienum fuisse demonstrat, dum reliquorum Apostolorũ iussu capesit, & legationem illi iniunctam prompto obire animo non recusat. Nec Apostolus se vsquam ad mandata eius demittit, vt contra publicè eum à se reprehensum scribat, quod non recto pede incederet ad veritatem Euangelicam. Hoc verò quantum distat ab illo dominatu, quem deinde vendicare sibi Pontifex Romanus cæpit, vt omnium quos velit accusandorum potestatem sibi desumat, se verò à nemine reprehendendum statuat, vel si cateruatim plurimos ad gehennam ducat. Penes enim se imperandi potestatem esse & reliquos parendi manere necessitatem confidenter clamitat. Itaq; vel inde apparet, à quouis potius alio quàm à Petro tantum arrogantiæ & impotentis dominatus exemplum fuisse petitum, ac per tot secula impudenter vsurpatum. Nam principes de regno deturbare, & quos visum est illis surrogare non profectò Petri est, sed illius, qui Christũ tentare, & omnia

regna

regna mundi in manu sua esse iactare non exhorruit. Qui ergo successorem se Petri hactenus mentitus est, ne minimo quidem digito munus Apostolicum attigit quo solo Petrum Apostolum perfunctum fuisse legimus, sed regna mundi administrans, & in omni luxu ac superbia dominans, non Christi ministrum, sed Sathanæ potius satellitem se esse omnibus factis declarauit. Tanta tamen perditi hominis impudentia fuit, vt quascunq; hactenus possideret vrbes & prouincias, patrimonium has Petri vocitaret, suamq; hanc hereditatem esse per manus à Petro traditam sine omni pudore iactaret. Itaq; tantam rerum omnium absurditatem expendens olim Bernardus, non Petro sed Constantino Pontificem Romanum successisse scripsit, vt potè cum Petrus nusquam legatur processisse gemmis ornatus vel sericis, nõ tectus auro, nõ albo vectus equo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Ad ipsum porrò scribens Pontificem. Disce, inquit, sarculo tibi opus esse non sceptro, vt facias opus Prophetæ. Vbi enim fastus est hominum, non pastus ouium non Petro sed Constantino succeditur. Planum est, inquit, Apostolis interdici dominatum. I ergo tu, & tibi vsurpare aude aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Deploranda ergo est seculi nostri Sophistarum summa vanitas, siue præfracta potiùs malitia, qui tantam Christianæ religionis labem, & tyrannicum hunc Pontificis Romani dominatum, à Diuo Petro sumere originem deblaterant, & in scripturis etiã sacris habere stabilimentum sine omni fronte contendunt. Notum enim est, à quibus initijs, & quo tempore ad tantam potentiæ amplitudinem per-

uenit Episcopus Romanus, cum multa post ætatem Apostolicam effluxerunt secula, quando intra vnicum docendi Euangelij munus Episcopi Romani se continerent, & martyrio etiam plurimi doctrinam Christi obsignarent, ne dum vt in reliquas Ecclesias aut Episcopos earum principatū aliquem obtinerent. Datum hoc quidem fuit Episcopo Romano, vt propter splendorem Imperij Romani primæ sedis Episcopus diceretur, sed lege tamen interdictum & authoritate Concilij Africani approbatum, ne Princeps Sacerdorum, vel Summus Sacerdos, vel Vniuersalis appellaretur, Distinct. 99. Can. 3. ex Concilio Africano. Ac dum ambitione praua permotus Pontifex Romanus primatum hunc vrgeret, non aliquod Petri ius à Christo cōcessum prætexebat, sed authoritate Concilij Niceni tributum sibi fingebat. Agnita tamen fraus eius fuit in Concilio Africano, & prolatis authenticis Nicenæ Canonibus, adulterata & corrupta ab eo fuisse illius Concilij decreta palam est deprehensum. Obtinuit tamen successu temporis, & quidem certamine inter eū & Episcopum Constantinopolitanum de primatu exorto, vt á Phoca Imperatore parricida vniuersalis Episcopus & Summus Pontifex, ipsaq; Roma mater & caput vniuersæ Ecclesiæ fuisset appellata. Sed Gregorius Episcopus Romanus, qui hæc tempora antecessit, & Ioannis Episcopi Constantinopolitani ambitionem acriter obiurgauit, satis luculenter in multis scriptorum suorum locis demonstrat, quid ille de hoc primatu senserit, & quibus diris eum deuouerit. Sathanæ enim hanc ambitionem esse denotat, qui despectis Angelorum legionibus, secum socialiter constitutis ad culmen

culmen conatus est singularitatis erumpere: vt & huius subesse, & solus omnibus præesse videretur. Ad Mauricium autem Imperatorem scribens, inter cæteras primatus huius grauissimas obiurgationes, hæc subiecit. Ego fidenter dico, quia quisquis se vniuersalem vocat, vel vocari desiderat in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit. Et sanè tyrannica hæc potestas, quam ab illo tempore Pōtifex Romanus exercere cæpit, & perfractis omnis Diuini & humani iuris repagulis, quidvis statuendi, ordinandi, mutandi, facultatem sibi desumpsit. Verum vtiq; illum esse Antichristum, & puræ religionis euersorem ipso clarius sole demonstrat. Nec in alium quenquam competere potest, quod & Apostolus Paulus ad Thessalonicenses scribens, & Ioannes in Apocalypsi sua Antichristo tribuit, quam in hunc solum, qui in templo Dei sedens supra omnem humanā potestatem se extollit, seq; triplici redimitus corona pro Deo ostentat, & de poculo scortationis suæ ōnes terræ Reges inebriat. Quanta hæc vel seculo nostro conspicitur eius tyrannis & crudelitas, quod in Principes verè Christianos, & synceræ religiōnis propugnatores altos itidem incitat, & ad persequendos bello, regnoq; debito spoliandos tam pecunia quàm milite adiutat. Nec efferatum & immane hominis ingenium ad commiserationem vllam flectere possunt, tot vtrinq; acceptæ clades, non florentissimorum regnorum extrema quædam ruina & interitus. Iustam scilicet opprimendi Henrici Regis Nauareni & de regno Galliæ deturbandi, iustam Elizabethæ Reginæ Angliæ persequendæ habere videtur causam, quia impe-

rium eius detrectant, quia non amplius Supremum Pastorem & Ecclesiæ caput, sed sceleratum agnoscunt Antichristum. Et qui Reges & Principes impiam illi nauant operam poculo scortationis eius inebriati: tam alto oppressi sunt somno vt plurima perpessi damna, & infœlicem experti aleam belli, tamen euigilare, & veternum quo torpidi tenentur excutere nequeant. Ac forsan iusto scelerum iudice Deo hunc breui sortientur exitum, vt quam immeritò aliis moliuntur perniciem, hanc vltrò sibi accersant, & indignis conditione sua calamitatibus se ipsi inuoluunt. Nec verò in opprimendis ipsis Antichristis Diuiua cessat ira, quos impia cientes prælia Marte subinde aduerso afflixit, & præpropero multorum intra paucos annos interitu, horrendoq; mortis in vnum vt fama fert, edito exemplo, consilia eorum scelesta dissipauit. Rogandus itaq; est Summus Pastorum Princeps Christus, vt tandem impium hunc Spiritu oris sui interficiat, & illustri aduentu suo aboleat, ac ex cruentis Leonis faucibus oues suas, cœlestis illo vitæ præmio decorandas eripiat.

Veni Domine Iesu & veni cito.

CAPVT SECVNDVM.

ET vos vna viuificauit, cum essetis mortui in offensis & peccatis.

NOn ante cognoscitur remedij præstantia, quam morbi, cui adhibitum est remedium grauitas ritè expendatur. Paulus itaq; ad commendandam Christi gratiam, quæ in Ephesiorum vocatione & regeneratione eluxit, ostendit & spectandum illis proponit, quid nam

quid nam illi fuerint, & quibus dotibus excelluerint, antequam ad Christi cognitionem per Euangelij prædicationem peruenerint. Vitam quidem illorum, quæ cupidè ab hominibus expetitur, & in qua conseruanda plurimum operæ ab eis impenditur nonnisi mortem fuisse, & in eam mortem, quæ calamitates omnes quibus hominum vita obnoxia est, non terminet, sed infinitum miser ię & omnis infelicitatis pondus sustinere cogit. Nam peccati labes, quam ab vtero secum affert homo, ita obnoxium irę Dei Omniporentis efficit hominem, vel æternum quidem sit victurus, sed æternas pœnas & nunquam finiendos cruciatus tam in corpore quàm in anima toleraturus. Hanc ergo deplorandam vitam seu potiùs mortem gratia Dei abolitam docet Apostolus, per quam beata & perennis vita illis restituta, summa omni fœlicitate illos cumulabit, & ab horrore mortis æternę, ac Sathanæ crudeli imperio liberabit. Huius autem vitæ cœlestis gustum etiam in hoc mundo sentiunt fideles, dum vigore Diuini Spiritus perfusi, iucundos illos ac suaues innocentiæ sanctitatisq; proferunt fructus, & liberati à peccato, serui autem facti Deo, habent fructum suum in sanctificationem, finem autem vitam æternam. Rom. 6.

> In quibus olim versati estis, vt est vita mundi huius, secundum principem, cui potestas est aëris, & spiritus nunc agentis in hominibus contumacibus. Inter quos & nos conuersati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quę carni ac cogitationibus libebant eramusq; natura filij irę vt etiã reliqui.

QVàm miserâ sit mortalium ōnium conditio, quos Deus per Spiritum Filij sui non regenerat, vel hisce verbis luculentissimè docet Apostolus. Naturam enim humanam æstu Sathanæ, & mera hominis voluntate legem Dei trāsgrediente ita esse deprauatam, vt toto impetu ad peccandum feratur, & Sathanę ad omnes cupiditates noxias, & scelera quæuis patranda se raptandam permittat. Vnde regius vates miseram suam sortem deplorans, se in iniquitate conceptum, & in peccatis natum conqueritur, nec quenquam ex ōni hominum numero esse intelligentem & requirentem Deum. Omnes, inquit, declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est faciens bonum, ne vnus quidem, Psalm. 14. & 51. Sensus enim, dicit Dominus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescētia eius, Gen. 8. Itaq; si oculos reflectas ad omnia præterita ætatum tempora, quibus Euangelij lux mundo fuit abscondita, & contemplanda tibi proponas omnium gentium facta, ita in scelesta ac nefaria facinora ruebant omnes, vt ad patranda flagitia & obscęnitates omnes se maxime natos arbitrarentur. Quid enim Historiæ eorum potissimùm cognoscendum exhibent, quàm quod omnibus ambitionis & auaritię stimulis agitati, alij alios de auita possessione pellere, eos vita ac fortunis spoliare, & in trucidandis hominibus carnificinam exercere, hicq; præcipuam virtutem & fortitudinem ostentare contenderent? Iam verò quod ad effrenatas, & effusas in omni intemperantia libidines attinet, vel Poëtæ & Comici eorum testantur, qui in stupris & adulterijs decantandis ingenium exercent, & adeò nullum hic flagitium ab hominibus committi docent,

docent, vt Deos etiam his sceleribus affines ostendãt, eorumq; raptus & Ganymedeos amores liberè describant, Sed quid antiquis gentium opus est exemplis, dum temporibus nostris impiæ gentis Mahometistarum inexplebilis auaritia & immanis crudelitas, nulla hominum calamitate satiari, nullo vnquam sanguine expleri potest? Nam portentosas & obscænas eorum libidines commemorare quid attinet, in quibus illi tãquam immundi porci perpetuò volutantur, tantoq; opere insaniant, vt summam futuræ vitæ fœlicitatem in cubilibus & Veneris delitijs constituant. Hæc scilicet Sathanę rabies est, qui principatum in aêre occupans, mentes hominum à se depravatas ita infatuat, & occulta quadam vi inspirat, vt in omne nefas præcipites ferantur, suæq; cupiditati, & eius imperio alacres obtemperent. Neq; tamen crudelissimi huius Leonis maior alibi conspicitur truculentia, quàm in regno Christi profligando, & in omnibus membris eius õni violentiæ impetu apprimendis, isto furore tyrannorũ mentes inflammans, vt vno momento vel omnes Christi oues de medio sublatas capiant. Quis enim recenseat crudelissimas Christianorum cædes, quis exquisita illa supplicia, quibus Imperatores Romani illi antiqui eos excruciatos necarunt, quibus vinculis ac verberibus tanquam in maleficos desęuierunt. Horret & refugit animus vel vnius vllius Apostatæ Iuliani facta & machinationes omnes, attrocissimasq; persecutiones commemorare, quibus doctrinam Euangelij Christi inhibere conatus est, & extrema quadam obliuione sepelire. Sed nec in ipsis regni Christi primordijs cessauit Sathan salutarẽ illam Euangelij segetem

extingue-

extinguere, ista contumacia Iudæorum pectora indurans, vt vno omnes animo, & Apostolos trucidare, & qui doctrinam eorum sectarentur, extirpare contenderent. Nec mirum, quando & Apostolos ipsos Christi aggressus, ita vnum ex eis fascinauit, & in cor eius ingressus ita dementauit, vt proditorem Domini sui faceret, & per manus eius trucidandum impijs obijceret. Sed & quæ seculo nostro in obruenda doctrinæ cælestis luce passim viget crudelitas ab Antichristo excitata, magnum exhibet documentum, quàm cruentis faucibus gregi Domini Sathan inhiet, & quám immani ira exęstuet, vt oues Christi laniare, & in crudeli eorum cæde bacchari possit. Hanc verò tantam pestem dum animis hominum Princeps ille aëris ingenerat, & ad scelera quęuis ac crudelitatem exercendam impellit, ostendit Apostolus, quid nam Ephesi ex Diuina Christi gratia sint consecuti, qui ijsdem peccatis & flagitijs polluti, nunc ad imaginem eius reformati, non à prauis animi cupiditatibus, non à scelestis cogitationibus ad illicita omnia abripiantur, sed â Spiritu Sancto intra terminos omnis honestatis & innocentiæ contineantur.

Sed Deus qui diues est misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam cum per offensas mortui essemus vna viuificauit nos per Christum, cuius gratia estis seruati, vnaq; excitauit, vnaq; collocauit in cœlis in Christo Iesu, vt ostenderet seculis succedentibus summas opes suę gratiæ, sua erga nos benignitate in Christo Iesu.

Cum

CVm vitio peccatricis & corruptæ naturæ omne hominum genus mors absorpsisset, nec meliori conditione Iudæi essent quàm gentes, tam larga & opulenta Dei misericordia in vtrosq; enituit, vt Christo Filio suo donatos, & ex mortis voragine ereptos in vitam restitueret, in illamq; cœlestem sedem perpetua fruituros immortalitate transferret. Quamuis autem dum peregrinamur in hoc mundo, reliquias adhuc peccati circumferentes, & cum carne, mundo, & Sathana luctantes, procul ab illa fœlicitate distare videmur, putreq; hoc nostrum corpus contemplantes, nonnisi inanem puluerem, & euanidam vmbram nos circumferre sentimus, tamen tantam futuræ vitæ & immortalis gloriæ fiduciam nobis suppeditat Christus vt quia ille mortis victor in cœlum conscendit, æternũ in cœlo victurus ac regnaturus, iam carnem quoq; nostram vna cum illo è puluere terræ erutam, & in cœlo collocatam verè credamus. Nostra enim conuersatio in cœlis est, vnde etiam saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, Phil. 3. Iamq; filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus autẽ quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eũm, sicuti est. 1. Ioan. 3.

Gratia enim estis seruati per fidem, idq; nõ ex vobis, Dei donum est: non ex operibus ne quis glorietur.

VT solidam salutis nostræ gloriam soli Dei misericordiæ tribuat Apostolus nec hominem quidquã afferre ostendat, quo tantum bonum acquirere sibiq; conciliare possit, nil omnino in viribus eius esse docet,

quod eum salutis compotem efficiat. Nam si opera bona quæ præstat illi aliquod subsidium ad adipiscendam vitam æternam afferrent, non hoc donum Dei vtique esset gratuitum, sed aliqua gloriæ pars penes hominẽ resideret, qui suo conatu, suoque studio se tanti boni participem faceret. Sed quia omnem prorsus adimit illi Apostolus gloriationem, salutemque ei concessam donum esse non debitum docet, sola ergo gratia DEI saluatur homo & nullo suo merito, quantacunque laude iustitiæ & probitatis excellere se putet. Nam quod vano saltem opinionis errore ducatur, seque ipse decipiat, vel exacta illa iustitiæ regula, quam in lege sua requirit Dominus, ad coarguendam eius conscientiam sufficit. Quis enim vnquam fuit, qui tanto amore Dei & proximi pectus suum inflammari sensit, vt nec Deum vnquam offenderit, nec proximum læserit? Ipse impudicus oculi intuitus adulterum hominem efficit, & vel leuis in proximum ira reddit homicidam, conuitiũ fratri dictum iudicio & condemnationi obnoxium facit. Quis autem est, qui iniuriam sibi illatam æquo ferat animo, ne cupiditate vindictæ cor suum titillari sentiat, ne dum vt beneficium pro maleficio rependat? Nam omnibus peruersis animi cupiditatibus renunciare, nullam offendiculi causam cuiquam præbere, & omnem vitam ad eam mansuetudinem componere, vt nec cogitatione, nec dicto nec facto quenquam offendas, & voluntati Diuinæ te vbique conformes, hominis demùm illius est, qui exuto mortali hoc corpore, cœlestem iam illam agit vitam, nec vllum amplius cũ mundo hoc habet commertium. Hoc verò cum quotidiana testetur experientia, & Scriptura passim Sacra

era omne hominum genus peccati ac iniusticiæ coargu at. Tanta tamen Pelagij fuit cœcitas, vt hominem naturæ suæ beneficio & omnem iustitiam posse adimplere, & hæreditatem regni cœlestis acquirere doceret. Nec verò multum ab eo distãt scholastici omnes Sophistæ, qui gratiam Dei & meritum Christi ad hoc saltem valere dicunt, vt hominis læsam peccato voluntatem adiuuent, illicq; iustitiam inhærentem infundant, qua deinde homo maiorem ac pleniorem promereatur iustitiam, & vitam æternam. Ita verò bonum hominis opus ad salutem efficiendam concurrere cum gratia Dei profitentur, vt partim gratia Dei, partim merito hominis vitam acquiri æternam perhibeant. Hoc verò quid obsecro aliud est, quàm Apostolum falsi accusare, & diuersam omnino doctrinam ab eius sententia tradere? Si enim ad consequendam salutem cooperatur homo gratiæ Dei, ergo non sola gratia, sed & operibus suis simul saluatur, nec donum Dei est vita æterna, sed debita merces operi bono persoluta. Vt quid ergo toties Apostolus nos gratis & per fidem absq; operibus legis iustificari docet, si quidem opera, quæ requirit lex, ad iustitiam cõplendam exiguntur? Hęc profectò mutua contradictione sese perimunt, ac simul subsistere nequeunt, vt quis dicatur iustificatus per fidem & per opera legis, vel iustificatus per fidem absq; operibus legis. Sublata enim altera parte, non nisi vna necessariò relinquitur, vt vna ac sola sit fides, siue gratia Dei cui innititur fides, quæ hominem iustificet, & nulla opera legis. Nam ne Sophistæ obganiant sola tantum opera Ceremonialia ab efficienda salute excludi, manifestum est Apostolum non de vna

aliqua parte legis verba facere, sed vniuersam omnino legem complecti, ex qua neminem prorsus iustificari posse contendit. Rom. 3. & 5. Ac tantopere ōnem iustificandi vim vniuersæ legi adimit, vt si ex lege iustitia esset, frustra Christum mortuum esse profiteatur. Quod autem hic solus ex mera Dei misericordia ad salutem nostram operandam sit datus nullo operum nostrorum respectu, clarissimè idem Apostolus docet: Non ex operibus inquit iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluauit nos. Tit. 3. Ita verò contra sententiam omnium Sophistarum omni humanæ iustitiæ adimit gloriam, vt soli Dei misericordiæ omnem hominum salutem acceptam ferat. Nec dissimile est, quod in Actis Apostolicis testatur Apostolus: Per Christum, inquit, annuntiatur vobis remissio peccatorum, & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari, per hunc omnis, qui credit iustificatur. Actor. 13. Vbi obsecro hic vel tantillum tribuitur legi, vel humanæ alicui iustitiæ, qua salutem acquirat homo, ac non soli Dei gratiæ & merito Christi, qui solus omnem hominem iustificat, à quocunq; fide apprehenditur? Sed tergiuersantur Sophistæ, & occlamant Apostolo, eumq; in scholam Aristotelis relegant, vt nimirum ex eo discat, quod à qualitatibus inhærentibus vel quæ inesse possunt, nulla res extrinsecus nomen accipiat. Absurdum enim esse perhibent, vt iustus aliquis dicatur, qui iustitiam non habeat sibi inhærentem vt nec docti meretur nomen, qui doctrina nulla sit excultus. Nec minus absurdum esse, fide aliquem iustificari, quàm si dicat quispiam asinum asinina forma esse hominem, vt potè cum iusti-

tia effi-

tia efficiat iustum, & fides fidelem, non iustum. Ita verò nec fides iustificat, nec externa aliqua & aliena iustitia, sed propria quisq; sua sibiq; inhærente iustificatur, Has verò tam impias Sophistæ seculi nostri eructantes voces, & doctrinæ Apostolicæ obstrepentes, tamen si Deo placet, Ecclesiæ Catholicæ venantur nomen, & qui cum Apostolo hominem fide iustificari perhibent, eos pro hæreticis reputant, & ex Ecclesiæ sinu exterminant. Nos verò in Ecclesia Aristotelica locum sanè illis concedamus, & in suo Lyceo acutè vt sibi videntur argutantes eos relinquamus, dum per stulticiam Euangelicæ prædicationis interim ad æternam illam beatæ immortalitatis gloriam perueniamus. Illi quidem in suis inhærentibus qualitatibus iustitiã quærant, & tanquam ex Copiæ cornu omnes iustitiæ opes depromant. Nos autem omnem propriæ iustitiæ fiduciam deponentes, ex sola fide cum Apostolo iustificari contendamus, vt pacem apud Deum habeamus per Iesum Christum. Non pudet profectò nos apud Filiũ Dei id mutari quod nobis deest, vt in conspectu Omnipotentis Dei, non nostra sed eius iustitia induti prodeamus. Non puduit & illum peccatum pro nobis fieri, vt nos efficeremur iustitia Dei in illo. Si verò ex qualitatibus nobis insitis & inhærentibus iustitiam Sophistæ hauriendam putant, & Christum itidem peccatorem ex qualitatibus inhærentibus agnoscant necesse est. Sic nimirum stultitia hominum istorũ se vbiq; prodit, & dum in suo peripato argutè in primis Philosophari sibi videntur, in schola Christi ne prima quidẽ Christianæ religionis elementa se didicisse deprehenduntur. Alia profectò est iustitia legis & morum, alia

verò Euangelij, nec Aristoteli vnquam venit in mentem perfectiorem aliquam hominis integritatem inquirere, præter eam quæ naturæ humanæ insculpta est. Hæc enim tum demùm aliquem virtutis habitum acquirit, si longo vsu & consuetudine informata, ac crebris actionibus exercita, rectam ac conuenientem animi affectionem efficiat. Verum hæc tantum distat à perfecta illa & absoluta iustitiæ norma, quam postulat Dominus, vt si ad trutinam Diuini iuditij appendatur, nullum omninò pondus sit habitura. Aliam itaq; iustitiam in Euangelio suo proponit Dominus, eam scilicet quæ Christi est, & quæ solis credentibus in Christum applicata, eos plena iustitiæ luce collustrat, nec ex qualitatibus inhærentibus, sed ex imputatione consummatissimæ Christi iustitiæ iustos & acceptos Deo efficit. Hanc verò iustitiam in publicano illo Euãgelico approbauit Dominus. Aristotelicam autem illã, qua tumebat Pharisæus, omninò repudiauit. Ridiculi itaq; sunt Romanæ Ecclesiæ Sophistę, qui certissimis oraculis Spiritus Sancti post habitis, mysteria religionis suę in Aristotele venantur, eumq; spretis omnibus Apostolis, tanquam certissimum veritatis Magistrum sequuntur. Cum autem tam turpiter in præcipuo ac potissimo Christianæ religionis articulo hallucinentur, tamen Ecclesiæ Catholicæ possessionem sibi vendicare audent, & qui ex solo Christo omnem iustitiam hauriendam sibi statuunt, pro deploratissimis eos hæreticis reputant. Hieronymus quidem Osorius, & si disertus & suauis Scriptor, tamen quia Ecclesiæ Romanę Sacerdos, & inhærentis huius iustitię ac liberi arbitrij nimius buccinator, sic in Lutherum denotat, sic omnibus maledicentię & conuiciorum aculeis hominem in-

nocentem configit, vt omnis prorsus modestię oblitus esse videatur. Dicit hominem scelestissimum & impurissimum, vocat monstrum, portentum omnium, quæ vnquam in terris extitêre truculentissimum & immanissimum. At quare obsecro? Quia nimirum doctrinam Apostolicam de fide iustificante á superioris seculi Sophistis penè sepultam in lucem reuocauit, quia nullum humanę voluntatis ad operandum bonum esse facultatem docuit, nisi á gratia Dei reformetur, & ex tenebricosa lucida efficiatur. At verò Osorius idem sentire Augustinum non diffitetur, vt eum & á se, & á reliquis prioris seculi Scriptoribus desciuisse perhibeat. Verũ quid impulerit Augustinum, vt seipsũ reflecteret, & priorem sententiã corrigeret, id tot luculentissimà eius cõtra Pelagium testãtur scripta. Animaduertit scilicet per pestilentẽ hunc hominẽ omnẽ gratię Dei & beneficij Christi vim aboleri, & humanę naturę integritatẽ ita extolli, vt ipsa sibi dux ad sectandam pietatem, & obtinendam vitam æternam existeret. Ne ergo tam pernicioſa doctrina omne meritum Christi extenuaret, & in admiratione integritatis suę hominem defigeret, omnem salutis nostrę gloriam soli Dei gratię omninó tribuendam cum Apostolo iudicauit. Nam cum antè ita sentiret, gratiam saltem Dei in eo consistere, quod Euangelium nobis prędicatur, nostrum autem proprium & ex nobis esse, vt prædicato Euangelio consentiremus, erroris non ferendi seipsum accusat, & dicto Apostoli Pauli errorem suum corrigit, dicens: Quid habes homo, quod non acceperis, si autem accepisti, cur gloriaris, tanquam non acceperis. 1. Cor. 4. Adeò enim omne beneficium salutis DEO vendicat, vt tam fidem quàm opera Sancta ab eo pro-

ficiſci, & donari electis doceat. Id verò cum paſsim in ſcriptis ſuis contra Pelagium teſtatur Auguſtinus, in libro quoq; ad Valentinum de libero arbitrio & gratia luculentiſsimè docet Cap. 6. His & talibus teſtimoniis, inquit, Diuinis, probatur gratia Dei non ſecundū merita noſtra dari, quandoquidem nō ſolùm nullis bonis, verum etiam multis malis præcedentibus meritis videmus datam, & quotidie dari videmus. Sed planè cum data fuerit, incipiunt etiam eſſe noſtra merita bona, per illam tamen, nam ſi illam ſubtraxerit, cadit homo non eructus, ſed præcipitatus libero arbitrio. Et ſupereſt, inquit Apoſtolus, mihi corona iuſtitiæ, quam mihi reddet Dominus in die illa iuſtus Iudex. Cui redderet coronā iuſtus Iudex, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? Et quomodo eſſet iſta iuſtitiæ corona, niſi præceſsiſſet gratia, quæ iuſtificat impium? Quomodo iſta debita redderetur, niſi prius illa gratuita donaretur? Et cap. 7. Si ergo dona Dei ſunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, ſed tanquā dona ſua. Et, poſtremo dixit, fidem ſeruaui, ſed ille hoc dixit, qui alibi ait: Miſericordiam conſecutus ſum, quia fidelis eram, ſed vt fidelis eſſem, hinc oſtendens, etiam ipſam fidem haberi, niſi Deo miſerante nō poſſe, & eſſe donum Dei. Quod apertiſsimè docet, dicēs: Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed donum Dei eſt, poſſent enim dicere ideò accepimus gratiam, quia credimus, tanquam ſibi fidem tribuentes, gratiam Deo: propter hoc Apoſtolus cum dixiſſet, per fidem, & hoc inquit, non ex vobis, ſed Dei donum eſt. Rurſus ne dicerent, ſe ſuis operibus tale donum promeruiſſe, continuò ſubiecit: Non ex operibus,

operibus, ne fortè quis extollatur, non quia negauit aut euacuauit opera bona, cum dicat. Deum reddere vnicuiq; secundum opera eius, sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc, ab illo sunt opera iustitiæ nobis, â quo est ipsa fides, de qua dictum est. Iustus ex fide viuit. Ex his verò & plurimis alijs Augustini testimonijs, quibus doctrinæ Apostolicę veritatem contra Pelagium tuendam sibi suscipit, animaduertat quæso æquus Lector, an non Hieronymus Osorius tot maledicta in Lutherum conferens, simul Augustinum & Apostolum ipsum cõdemnet, Pelagio autem veræ sententiæ testimonium ferat? Et sanè mirandum est, & ab Osorio, & â reliquis liberi arbitrij assertoribus, nomen ipsum Pelagij detestandum iudicari, doctrinam autem eius ab omnibus ferè approbari. Nam quod non magno discrimine Pontificiorum omnium doctrina â Pelagij sententia distet, vel argumenta eius omnia abundè docent, quibus itidem ille olim in approbationem causæ suæ vsus est, sicut & isti omnibus eisdem nituntur, ne sola gratia Dei per fidem nos iustificari euincant. Atq; vt testatum omnibus efficiant, se procul â scopo & mente Apostoli deflexisse, ne fidei quidem vocabulum in ea significatione retinent, quam illi tribuit Apostolus. Nam vt concedamus varia vocis huius esse significata, tamen cum Apostolus fide hominem iustificari, aut corde credi ad iustitiam docet, satis apertè innuit, quidnam fidei nomine intelligat, quod nimirum certa & firma sit fiducia in Mediatorem nostrum Iesum Christum, cuius iustitię nos Deus participes facit, & in nomine eius omnium peccatorum remissionem concedit. Hoc enim cum in

plurimis scriptorum suorum locis clarissimè testatur; & ad Galatas cap. 2. non obscurè docet. Scimus, inquit, non iustificari hominem ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christum Iesum credidimus, vt iustificaremur ex fide Christi. Credidit, inquit, Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò qui nõ operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ. Rom. 4. ad Philipen. autem 3. Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ est ex fide Christi Iesu, quæ est ex Deo, est iustitia in fide. Ita verò vbiq; Apostolus vnicum fidei obiectum proponit Christum, & per eam iustificari hominem docet, quia nimirum per eam apprehenditur misericordia Dei in Christo promissa, qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio nostra, vt omnis qui gloriatur in Domino glorietur. 1. Cor. 1. Sophistæ autẽ & Romanæ Ecclesiæ propugnatores ita fidem definiunt, vt eam firmissimum assensum esse perhibeant, non tantum eorũ, quæ in scripturis patefacta sunt, sed eorum etiam, quę sine scripto per manus tradita sunt. Osorius tamen cũ hac fide & illam coniungendam esse docet, quę est debita muneris & officij nobis impositi perfunctio, vt nimirum tunc fidem Domino seruare dicamur, cum quę opera iustitiæ seruanda nobis iniunxit Dominus, ea præstamus. Quid autem obsecro inter hanc fidem ita descriptam, & illam Apostolicam simile est? Hoc scilicet istis propositum est, vt per ambages & varios

discursus

discursus à vera in Christum fide animos hominũ abducant, & non tam à gratia Dei quàm à meritis bonorum operum salutem pendere doceant. Nam & gratiã Dei non pro benevolo illo paterni amoris affectu accipiunt, quo peccata in Christo condonantur, sed qualitatem esse in animos nostros à Deo transfusam dicunt per quam sanctè ac piè viuamus. Inde verò perspicuũ est, quanto discrimine doctrina Ecclesiæ Romanæ à sententia Apostolica distat, vt veram illam Apostasiam hic cernere liceat, quàm futuram prædixit Apostolus, vt tandem in templo Dei sedem suam erigeret Antichristus, & salutem hominum, quæ in vnico fundatur Christo, tam in manu sua repositam ostenderet, quam ad quæuis media astringeret. Sed non defuerunt tamen omnibus ætatibus Ecclesiæ præclari Doctores & Scriptores, qui synceritatem doctrinæ Apostolicæ firmiter tutati sunt, nec Cimmerijs hisce Antichristi tenebris eam obrui permiserunt. Augustinus quidem maximus & præcipuus veritatis Apostolicæ assertor, eam à Pelagio maligno gratiæ Dei detractore obscurari minimè passus est, & quantum in illo fuit ab omni posteriratis corruptela & calumnia vindicauit. Gratia est, inquit, quæ gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. Lib. de gratia Noui Testamen. cap. 10. Et lib. de patientia cap. 20. Si enim vllis meritis datur, iam non gratis donatur, sed debita redditur, ac per hoc non vero nomine gratia nuncupatur, vbi merces, sicut idem dicit Apostolus, non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Si autem vt vera sit gratia, id est gratuita, nil inuenit in homine, cui meritò debeatur, (quod bene intelligitur & in eo,

quod dictum est, pro nihilo saluos facies eos) profectò ipsa dat merita, non meritis datur. Bernardus autem in densissima caligine errorum orbem Christianũ occupante, tamen doctrinæ Apostolicæ lucem addidit, & Christi gratiam in salute hominibus danda mirè illustrauit. Tria, inquit, considero, in quibus tota mea spes consistit: Charitatem adoptionis, veritatem promissionis, & potestatem redditionis. Murmuret iam quantum voluerit, insipiens cogitatio mea, dicens. Quis es tu? aut quanta est illa gloria, quibusue meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondeo, scio cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptauit me, quia verax est in promissione, quia potens est in exhibitione. Idem: Ecclesia nõ præsumit de suis meritis, sed de Dei misericordia. Non commemoro alios excellentissimos Ecclesiæ Patres tã Græcos quàm Latinos, qui vna omnes voce soli Dei misericordię salutem generis humani tribuunt, & ne vana meritorum fiducia homines intumescant sedulò cauent. Nam si teste diuino illo Iobo etiam sydera cœli splendidissima in conspectu Dei sunt obscura, quanto minus homo puritatem suam illi vẽditabit, qui vermis est, & natus homine vermiculus, Iob cap. 26. Faciat ergo Synagoga Romana, cum impio suo & in Filium Dei contumelioso dogmate, quæ in hominum meritis salutem venatur, & sic vana opinione propriæ iustitiæ peccatorem implet, vt nihil Christo aut parum tribuere videatur, cum tamen omnem salutis gloriam penes eum solum residere doctrina testatur Apostolica.

Nam

Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in eis versaremur.

NOn solum iustitiam factum nobis Christum docet Apostolus, sed etiã sanctificationem. 1. Cor. 1. Nam posteaquam vnico eius merito coram Deo per fidem efficimur iusti eiq; reconciliati, simul etiam per Spiritum eius innouamur, vt abijcientes opera carnis in nouitate vitæ ambulemus. Tradidit enim semetipsum pro nobis Christus, vt redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi poculum peculiarem sectatorem bonorum operum. Tit. 2. Quia ergo solus Deus per Christum omnia bona operatur in nobis, & quoscunq; sanctitatis ac innocentiæ proferimus fructus, illo irrigante & ariditatem nostram fœcundante hoc tantum bonum consequimur, delirauit vehementer Pelagius, qui istam naturæ integritatem fingebat in nobis, vt ipsa ex se vberem iustitiæ segetem profundere posset. Nec minus insaniunt scholastici Sophistæ, qui saltem naturam debilitatam in nobis docent, vt adiutorio Dei tantum subleuata, & primam eius gratiam consecuta, iustitia deinde sua peccatorum remissionem, & vitam æternam promereatur. Nam nihil esse nostrum perspicuè docet Apostolus, vt hoc etiam quod operatur boni, nõnisi ipso dante & peragente in nobis efficiamus. Et quàm diu tamen hac corporis depressi sarcina in hoc mundo reptamus, perpetuam illam carnis & spiritus luctam in nobis experimur, vt non quod volumus boni, sed quod nolimus mali subinde peragamus. Itaq; ne vana aliqua meriti & iustitiæ opinio nos fallat, ipse Dominus ad humilitatem nos reuocat, dicens. Cum fe-

ritis omnia, quæ præcepi vobis dicite, quod debuimus, fecimus, & tamen serui inutiles sumus Luc. 17. Et Propheta Esaias iustitiam nostrā comparat, panno mulieris menstruatæ cap. 64. Apostolus autem summa fide vocationi suæ inuigilans, & opus ministerij sibi commissum explens. Nihil, inquit, mihi conscius sum, sed nō in hoc iustificatus sum. Efficit quidem Dominus in nobis opera sancta, & ad gloriam nominis sui vult lucere lucem nostram coram hominibus, vt videntes opera nostra, glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est. Matth. 5. Sed ne quid hinc gloriolę captemus, & ne alis his nobis adaptatis instar Icari in cœlum subuolare tentemus, docet Apostolus donum Dei esse vitam æternam, eamq; in solo nomine Christi obtingere credentibus. Nec verò fidelium suorum relinquit Dominus opera irrenumerata, vt contra copiosam illis mercedem in cœlis repositam testetur: sed gratuitam suam in eo declarat beneuolentiam, vt quos semel in Christo amore suo complexus est, mercedem illis debitam se rependere prædicet, quam tamen mera sua beneficentia & liberalitate, nulloq; eorum merito largitur. Intelligendum est, inquit Augustinus in Enchiridio cap. 107. etiam ipsa hominis bona merita, esse Dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur. Et in Psal. 60. Vniuersæ viæ Domini, inquit, misericordia & veritas: misericordia dicitur, quia non merita nostra attendit Deus, sed bonitatem suam, vt peccata nobis omnia dimitteret, & vitam æternam promitteret. Veritas autem, quia non fallit, reddit quę promisit. Bernardus autē in annunciatione Beatę Marię Serm. 1. Spiritus ipse, inquit, per-

hibe-

hibet testimonium spiritui nostro, porrò hoc testimonium in tribus consistere credo. Necesse est enim primò omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Deinde quod prorsus nihil habere queas boni operis, nisi & hoc dederit ipse. Postremò, quod æternam vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur & illa. Et in Psalmum, Qui habitat &c. Hoc totum est hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo, qui totũ hominem saluum facit. Augustinus in lib. de gratia & lib. arbit. cap. 5. Bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, in scripturis ad Dei gratiam pertinent, propter illud, quod ait Dominus Iesus, sine me nihil potestis facere. Capite autem 17. Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens, propter quod ait Apostolus. Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet vsq; in diem Iesu Christi. Vt ergo velimus, sine nobis operatur, cũ autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur, tamen sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo vt velimus dictũ est. Deus est enim qui operatur in vobis & velle. De cooperante illo cum iam volumus, & volendo facimus, Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooparantur ad bonum. Cap. 18. Gratia nos facit legis dilectores, lex verò ipsa sine gratia, nonnisi præuaricatores facit.

Propterea mementote vos quondam gentes in carne, qui dicebamini præputium,

ab ea

ab ea quæ vocatur circumsio in carne, & quę manibus fit, vos illo tempore fuisse absque Christo, alienos á Repub. Israëlis, & extraneos à pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo.

QVâm miseranda olim & infœlix Ephesiorum cõditio fuerit, ostendit Apostolus, dum in communem gentium eos includens sortem & vera Dei cognitione dèstitutos, & ab omni spe salutis excluſos prædicat. Hac enim prærogatiuæ, hoc beneficio solam Abrahæ posteritatem dignatus est Dominus, vt cum se ei, voluntatemq; suam patefaceret, & in peculiarem sibi populum cooptaret, apud eam quoq; certum æternæ salutis fœdus deponeret. Erat enim circumcisio Abrahæ & semini eius mandata, non inane aliquod & lusorium signum, sed infallibilis promissionis Diuinæ tessera, qua Deus se omnibus his forè propitium declarauit, qui fidei Abrahæ, imitatores eam in corpore suo insculptam gererent, & pro certo salutis suæ Sacramento vsurparent, Rom. 4. Itaq; ex populo Dei exterminandum, neq; ad celebrandum Phase Domini admittendum denunciauit Dominus, qui hanc notam corpori suo impressam non haberet, seq; præputio suo alienum á Repub. Israëlis esse demonstraret, Exo. 12. Nec verò ad notandam hominum impietatem, & Idololatriæ condemnandam, quamuis gentem aliud vocabulum conuenientius â pijs vsurpatum nouimus, quàm vt incircumcisos esse dicerent, qui seruientes Idolis, in vero viuentis & vnici Dei cultu se non continerent. Ac fuerunt quidem aliquę gentes, vt testantur Historici, quæ praua quadam imitatione præputiũ circum-

circumciderent, quod & á Mahometanis hodie vsurpari conspicimus, sed quia non ad eum, quem constituit Dominus, collimauerunt scopum, sacrum hi Dei profanantes institutum, nonnisi condemnationi se obnoxios reddiderunt. Vult nimirum Dominus vt quæ ad obsignandam gratiæ suæ promissionem externa adhibet signa, interiore mentis affectu ritè expectantur, & dona cœlestia, quæ externis adumbrãtur simlachris fide intus recipiatur. Itaq; circũcisionis his constitit veritas, & pro legitimo Dei populo sunt reputati, qui & Christum sibi promissum vera fide contemplabantur, & circumcidentes cor Domino, sanctitati ac iustitiæ studebant, verboq; Dei & mandatis eius sedulo obtẽperabant, quod si Sacramenta non omnibus, etiã quibus sunt instituta, salutem conferunt, nisi qui á specie corporali, quam ingerunt illa sẽsibus humanis, ad percipiendum fructum spiritualem, vt loquitur Augustinus, animum conuertunt, tanto magis nullam omninò Ephesiis ac reliquis gentibus, spem salutis fuisse relictam, qui adeò nullam veri Dei & Christi eius cognitionem habuerunt. vt procul etiam ab externa politia Israëlis, & visibili illa fœderis tessera arcerentur.

At nunc in Christo Iesu, vos qui olim eratis procul, propinqui facti estis per sanguinem Christi. Ipse enim est pax nostra, qui vtrãq; fecit vnum, & intergerini parietis septum soluit.

QVod salus & vita æterna sit gratuitum Dei donũ, & quod soli hi compotes eius efficiantur, quos

Christus sanguine suo abluit, & à peccatorum sordibus emundat, luculenter id docet Apostolus, cum Ephesios cognitione Christi vacuos, procul ab omni spe salutis fuisse repulsos, & à patria illa cœlesti extorres censet. Nam & si discrimen illud iusti & iniusti non penitus ex hominum animis abolitum fuit, & qui studium & disciplinam ad excolendum ingenium homines adiunxerunt, à feritate agresti alieni, mãsuetudine quadam & facilitate morum excelluerunt, quia tamen nullum virtutis & honesti studium ad absolutam illam iustitiæ Ideam, quam Deus approbaret, pertingere potuit, equè omnes, vt potè peccatores sunt condemnati, & iræ Dei facti obnoxij. Ad solos ergo regni cœlestis hereditas peruenit, quos morte sua & sanguine fuso Christus Deo Patri reconciliauit, & aditum ad tantam gratiam per fidem illis patefecit. Hac autem gratia cũ solos olim Iudæos Deus esset dignatus, ideoq; peculiaribus quibusdam sacrorum & rituum notis eos à reliquis omnibus gentibus discerneret, & tanquam intergerrino quodam pariete separaret, nunc demùm hoc sepimentum reuulsit, & in vnam Sanctorum Ciuium societatem omnes admisit, qui ad vnum Christum per fidem essent aggregati. & vno redemptionis precio, quod in solo eius consistit sanguine, essent donati.

Inimicitijs, id est lege mandatorum, quæ in ritibus posita est, per carnem suam abolitis, vt ex duobus illis conderet in semetipso vnum nonum hominem, faciens pacem, & vtrosque in vno corpore reconciliaret Deo, per crucem, peremptis inimicitijs per eam.

Magnum

MAgnum quoddam dissidium inter gentes & Iudæos ceremoniæ illæ, quæ in lege Diuina erant præscriptæ notabant: vt potè cum omnia legis sacrificia mortem Christi futuram repræsentarent, & per eã peccata populi abolenda denunciarent, quarum rerum cognitionem gentes animo non modo comprehendere, sed ne minima quidẽ suspitione attingere potuerũt. Mactabant quidem & hi suas pecudes, & in splendida Deorum sacrificia suas offerebant Hecatombas, nidoreq; pinguium victimarũ Deos suos placari fingebãt: sed quia ab illo scopo, qui victimis Iudæorum erat præfixus, quàm longissimè aberrabant, magno quodam & notabili dissidio se ab omni Iudaicæ gentis religione dissitos testabantur. Et quidem quia falsæ ac fictæ religionis semper comes est superbia, vera illa Dei religio, ita spreta ac contempta à gentibus fuit, vt Iudæos per ludibrium recutitos vocitarent, & Romani propter subactam armis suis Iudæam, Deos suos superiores, religionemq; certiorem iactarent. Has verò inimicitias aliquando tollendas, & mutua pace sopiendas prædixerunt olim Prophetæ, quando Israëli aduenam adiungendum, & domui Iacob adhæsurum decãtarunt Esa. 14. Ieremias autem omnes gentes ab extremis terræ ad Dominum venturas vaticinatus est & dicturas, verè mendacium possederunt Patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit, Ier. 16. Et venient, inquit Dominus ipse, multi ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Matth. 8. Ita verò pax per Christũ est constituta, cum quod veteris legis vmbræ præfigurabant, ipse in carne sua expleuit, & expiatione pec-

eorum per oblationem corporis sui facta, omnes illos antiquos ritus de medio sustulit. Cum ergo hæc quæ magnam dissidij ac distractionis speciem præseferebant, per mortem crucis essent abolita, iam non diuersæ religionis populum, sed per vnam in se fidem ex duobus vnum nouum hominem condidit Christus, & vtroscp simul Deo reconciliauit. Nam quàm diu gentes ambulabant post prauitatem cordis sui pessimi, vt loquitur Ieremias, & Iudæi sub pedagogia legis constituti legem tamen violabant, veteris vtiq hominis Adæ expressam imaginem vtriq circumferebant, & nisi ad imaginem Dei reformarentur, Dei gratiam nunquam acquirere, neq illi reconciliari potuissent. Nouum ergo hominem tunc induerunt, cum induerunt Christum, quando in Christo Iesu neq circumcisio aliquid valeat, neq præputium, sed noua creatura Gal. 6 Fides ergo solida in Christum est, quæ nos regenerat, & compotes iustitiæ Christi factos nouam creaturam efficit, Spiritucp eius ditatos, subinde veterem hominē, hoc est peccatum in nobis enecat, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati sumus. & qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignū. 1. Pe. 2.

Et veniens euangelizauit pacem nobis longinquis & propinquis. Quoniam vtriq per ipsum habemus aditum ad Patrem per vnū Spiritum.

QVod Christus vnicus sit vitæ thesaurus, vt nostri aliunde contra mortem petenda sit medicina, iam toties demonstrauit Apostolus. Huius verò thesauri dispensandi hanc rationem ostendit, quod Christus primum

primũ per se, deinde per ministros doctrinã Euangelij promulgauit, qua gratis ōnibus credẽtibus, & peccatorũ remissionẽ etiustitiæ suæ cõmunicationẽ se tribuere testatus est. Circuibat enim Iesus ōnes ciuitates & castella, docẽs in Synagogis eorũ, et prędicãs Euãgelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem Matth. 9. Vnde Apostolus non se pudere Euangelij Christi prædicat, quia sit virtus Dei in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. Rom. 1. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi non imputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. 2. Cor. 5. Hæc ergo pax est, quæ annuntiatur â Christo & ministris eius, intrepida scilicet & ab ōnibus mortis terroribus irręq Dei liberata conscientia, qua suffulti fideles omnes, liberè se ad tribunal Dei viuentis sistunt, illiq iam nõ vt irato Iudici, sed tanquam clementi ac propitio supplicant Patri. Proponit autem Apostolus totam salutis nostræ oeconomiam in Sanctissima ac Diuinissima illa Trinitate exactè spectandam, vt sicut in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti baptizati sumus, ita salutem nostram ijs tribus ex æquo acceptã feramus. Neq enim ad Patrem aliter patet aditus, nisi se Christus Iesus Mediatorem interponat, nec quid oremus scimus, nisi Spiritus adiuuet infirmitatem nostram, & ipse postulet pro nobis gemitibus inennarabilibus. Rom. 8. Hãc autem solam & legitimam inuocandi Dei esse rationem passim Scriptura Sancta docet, & Apostoli suo exemplo declarant. Neq tamẽ hæc ritè inuocandi Dei lex violatur, si ob parem Diuinæ virtutis ac potentiæ ac dilectionis erga nos gloriam, tam Deus inuocetur

Pater, quàm Filius, & Spiritus Sanctus. Gratiam enim & pacem tam à Patre Deo, quàm à Filio eius Iesu Christo precatur omnibus fidelibus Apostolus, rogatq; vt gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus nobis, 2. Cor. 13. Atq; hæc quidem oratio post plenam Filij & Spiritus Sancti in mundo manifestationem ab Apostolis introducta est, cum sub vmbra veteris legis, non nisi ad vnum Deum Patrem omnis oratio directa fuerit, aut obscurè nimis ad Filium & Spiritum Sanctum. Et quia tamen ad Deum omnibus semper fuit præclusus accessus, nisi qui eum inuocarent per Filium, vel teste ipso Christo, qui neminẽ ad Patrem venire posse absq; se dicit, nec verò ritè inuocari Deus possit, nisi qui eum inuocat in Spiritu Sancto, magna fuit Ebionis olim ac Photini & seculo nostro Serueti cæcitas, qui Deum Patrem aliquando absq; Filio & Spiritu Sancto hypostasibus vel substantijs re vera subsistentibus fuisse deblaterarunt, & Ecclesiam absq; capite suo, Doctoreq; ac Sanctificatore suo imaginati sunt. Nam sicut in producenda vniuersa rerum creatura DEO re vera affuerunt, ita in instauratione generis humani iam inde ab initio cooperati sunt, donec tandem Filius ille Dei viuentis carne humana assumpta plenè mũdo est manifestatus, & Spiritus Sanctus in visibili specie ignis, magnaq; & admirabili virtute, quam in Apostolis effecit, descendens super eos, verus Deus declaratus. Sicut ergo salutis nostræ Fontem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum agnoscimus, distinctis tamen singulorum operationibus, & in nomine eorũ baptizamur, ita æquali honoris gloria, veræ & æternę

Deita-

Deitatis simul participes, singulos adoramus. Insaniant itaq; quantum libet hæretici, & quod mysterium capere nequeunt, ad sensum carnis suæ accõmodent, nobis tamen vltra scripturas sapere non permittamus, & quod modulo rationis nostræ arcanum capere non possumus, religiosè adoremus. Quærunt quidem & ipsi hæretici in scripturis sãctis vanæ suę opinionis patrocinium, sed quia mõstrosa adhibent glossemata, & discrepantibus inuicem sententijs contradictionum inuehunt pugnas, vltro se ipsi conficiunt suisq; telis obruunt, & inuiti ac nolentes vniformi ac perpetuę totius Ecclesiæ sententiæ, quod ea sit sola vera, testimonium ferunt.

Nempè igitur non estis hospites & inquilini sed Conciues Sanctorum ac Domestici DEI, superstructi super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, cuius imus angularis lapis est ipse IESVS CHRISTVS.

MAgnum & singulare Dei beneficium, quod ab aditu regni sui cœlestis non arcet, & in æquam Sanctorum suorum Ciuium societatem eos admittit, qui nullum vnquam ius Sanctæ illius Ciuitatis habuerunt, & pro seruis ac mancipijs Sathanæ reputati, nũc subitò noua dignitate aucti, & cœlestis Patriæ Ciues sunt affecti. Hæc autem tanta dignitas inde prouenit, quia qui Dominus & Hæres cœli est, omnes eos hoc dignatur honore, qui ab eo solo omnem spretæ & contemptę suę conditionis innouationem quærunt, omneq; decus & ornamentum inopię suę in ampliſsimis eius opibus constituunt. Hunc enim solum tota doctrina

Prophetica

Prophetica & Apostolica proponit salutis esse ducem, in eo omnes fundari & ædificari mandat, qui metum ruinę & perpetui exitij euadere cupiunt. Fabulata est olim vetustas totam hanc cœli machinam ab Atlante sustineri, & ne ruinam edat, humeris eius inniti: At verò hic demùm verus est Atlas noster Iesus Christus, qui viribus potentiæ suę omnem sustinet Ecclesiam, & quicunq; vera fide illi innituntur, in eoq; radices agũt, nulla vnquam vi tempestatis concutiuntur, nullis procellis ac turbinibus euelluntur. Ecce pono, inquit Propheta, in Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, fundationem fundatissimam, &c. Esa. 28. Huic nimirum Christo omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturos quosuis, qui crediderint in illum. Atq; idem Apostolus Paulus 1. Cor. 3. Nullum aliud fundamentum esse dicit, pręter Christũ Iesum, in quo scilicet vniuersa ædificatur Ecclesia, vt tam Prophetæ quàm Apostoli ad hunc collimen scopum, & nullum aliud sub cœlo esse profiteantur nomẽ, in quo saluos fieri oporteat homines, præter vnicum hunc lapidem, cui quicunq; superstructi fuerint, contra omnes inferorum portas inuicti perstabunt, neq; vllum ruinę periculum vnquam extimescent. Matt. 7.

In quo totum ædificium congruenter coagmentatum, crescit vt sit templum Sanctum Domino, In quo & vos vnâ ædificamini, vt sitis habitaculum Dei per Spiritum.

ITa Christus Ecclesiæ suę basis & fundamentum est, vt plenam totius ædificij structuram hi constituant, qui illi tanquam lapides viui superædificantur, & domum illam